DE

ORATIONE CHRISTI

ESCHATOLOGICA

MATTH. XXIV, 1-36. (LUC. XXI, 5-36. MARC. XIII, 1-32.)

ASSERVATA

TRACTATUS THEOLOGICUS.

SCRIPSIT

IS. AUG. DORNER.

Stuttgardiae, e libraria S. G. Liesching.

DE

ORATIONE CHRISTI ESCHATOLOGICA

MATTH. XXIV, 1-36. (LUC. XXI, 5-36. MARC. XIII, 1-32.) ASSERVATA.

TRACTATUS THEOLOGICUS,

QUO

ACADEMIAM REGIOMONTANAM

FESTA TRISECULARIA AGENTEM

SALUTAT PIISQUE VOTIS PROSEQUITUR

ISAACUS AUGUSTUS DORNER,

PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE DOCTOR, HUIUSQUE PROFESSOR PUBL. ORD.,
REGI BORUSSIAE A CONSILIIS ECCLESIASTICIS.

STUTTGARDIAE,

E LIBRARIA S. G. LIESCHING.

MDCCCXLIV.

PRAEFATIO.

Haud abs re videbatur esse, ad seculares, quos pie et solemniter haec Academia celebrat dies, quos secularibus ornat scriptis, orationibus, carminibus, afferre prophetica N. T. carmina, Regni Christi certamina, augmenta et victoriam adnunciantia.

Qui dudum huic literarum Universitati affuerunt, eamque morum, doctrinae, operum gravitate condecorarunt, illi anteacta potissimum tempora, majorum laudes, Dei Optimi Maximi beneficia laetabundo gratoque recolent animo. Ei vero, qui recens advenit, communi gaudio ita sese adsociare liceat, ut tempus praesertim futurum intueatur et id quoque speret divinorum beneficiorum virorumque de rebus nostris bene merentium plenum fore. Despicere enim antecessorum opera, quorum nos heredes facti sumus, frivoli est animi et ingrati: impium vero illud quoque, nec cordati pectoris, sed segnis est, ita in admirandis aut praeteritis aut praesentibus opibus commorari, ut

nec rerum praesentium incrementa desiderentur, nec quasi flori fructus sui concedantur.

Quare verba Christi futurum Ecclesiae statum et vaticinantia et regentia, verba non secularia quasi, sed aeterna, prio festoque animo iis offerre volui, qui hilari animo res futuras ita intuentur, ut et praesenti opere gaudeant, et antiquias nihil habeant, quam ut operi suo qualicunque aeterni illius vigoris aliquid instillent, qui e Christi verbis veluti ex fonte perenni per generis nostri secula promanat, mentes illuminans, corda pacificans, voluntates erigens et sanctificans.

Difficillimis sine dubio N. T. locis accensendae sunt orationes Christi eschatologicae apud Matthaeum Cap. XXIV, 1—36. (parall. Marc. XIII, 1—32. Luc. XXI, 5—36.) asservatae, quae ita sunt compositae, ut nodorum multorum explicationem et vehementer flagitare, et constanter fugere atque irritam reddere videantur. Etenim loci illi tantum videlicet videntur lucis habere, ut quaestionem nostratibus moveant, quomodo aut Christus ea dicere et juramento confirmare (Matth. XXIV, 34. 35.) potuerit, quae seu aliter, seu omnino non evenisse, si quidem permultorum hujus aetatis interpretum vestigia sequeris, in aperto sit, aut quomodo Apostoli Sapientiae discipuli errore intaminatae esse potuerint et inspiratione eâ gaudere, quâ jure gavisos esse eos Ecclesia christiana confidit, si Servatorem fallere fallique nescium in causâ haud sane parvâ ita intellexerunt, ut errore evidenti videantur et imbuere posteros, et teneri ipsi? Rursus et e contrario tantum effata illa habere videntur caliginis, ut explicatio plana, non tortuosa, facilis, non violenta, eademque et exegeticae et christianae conscientiae pariter arridens etiamnunc post tot seculorum labores impense a multis quaeri videatur. Cui operi insequentes quoque paginae sese adjungent, non tanquam fastigium impositurae rei sane arduae, sed pauca quaedam hucusque neglecta in medium prolaturae.

Multiplicem Theologorum operam in hac re enodandâ positam singillatim enarrare et recensere longum est. Nihilosecius, quum usu expertum habeam, quantum lucis majorum, veterum praecipue Patrum Ecclesiae labor loco nostro affuderit, ex re

nostra fore persuasum habeo, historiam quoque hujus loci exegeticam perlustrare. Nam B. Schottium quidem,[1]) quanquam ceteroqui locupletem loci hujus historiographum, nec Patrum de loco nostro sententias diligenter et accurate tractasse, nec interpretationis decursum historicum delineasse video.

I.

Et primum quidem illud memoratu dignum videtur, si prima Ecclesiae tempora et recentiora tanquam duos terminos ultimos uno obtutu fueris complexus, utrorumque interpretationes ut majori a sese invicem esse sejunctas, quam seculorum, quod interjacet spatio, ita easdem ultimos nobis terminos, quo loci nostri explicatio abire possit, exhibere. Quo evenit, ut, opposito utique modo, consentiant in eodem: Christum nonnisi de unâ re, certe inde a v. 15, verba facere: aut de judicio extremo, id quod antiquissimorum Patrum non pauci volunt, [2]) aut de Hierosolymorum

---

1) Vid. V. D. Commentarium exegetico-dogmaticum in eos Jesu Christi sermones, qui de reditu ejus ad judicium futuro et judicandi provincia ipsi demandata agunt. Jen. 1820.

2) Schottius l. c. p. 73. not. 26. haec habet: „Irenaeus adv. haer. 5, 25 atque Hilarius Comm. in Matth. iis quoque effatis omnibus, quae a v. inde 4 Matth. usque ad v. 29 leguntur, praedictionem inesse statuunt judicii extremi, cujus imago atque typus fuerit eversio Hierosolymorum.“ Parum accurate. Irenaeus enim quid sibi placeat de v. 4—14 non prodit loco V, 25, nec reliquis locis, ubi de capite nostro loquitur. Allegat enim praeterea v. 21 L. V, 29 §. 1. v. 35. L. V, 35 §. 2. — v. 28. L. IV, 14. Unus tantum locus exstat, cujus pars ad Matth. XXIV, 17. posset referri IV, 33: „(credebant) veniente eo de coelis cum angelis virtutis ejus commoveri universam terram, quemadmodum ipse ait, erit terrae motus magnus, qualis non est factus ab initio mundi.“ Hoc effatum autem in N. T. frustra quaeres; verba posteriora habes Matth. v. 21; de terrae motu agitur v. 7, seu potius de terrae motibus *κατὰ τόπους*, nec vero cum reditu Christi conjunctis. Massuet ed. Iren. p. 274 not. g. haec verba, ex memoria allegata ad v. 21 pertinere existimat, ubi de tribulatione magnâ sermo est. Sed quum L. V, 29 hunc Matth. versum accurate referat, et quum Irenaeus loco IV, 33 de Christi reditu magnifico cogitet, de quo nec Matth. v. 7 (cll. 8) mentio fit: e memoria quidem haec verba allegata dixerim, sed respicere Matth. v. 29 ff. cll. Lc. 25. 26. Quid Irenaeus igitur de vv. 4—14 senserit,

excidio, quod recentioris aevi multis placuit.[3]) Quare hi quidem omnia, quae Christus ibi praedixerit, jam evenisse putant, illi vero aut nihil, aut pauca ad ipsorum usque aevum impleta exis-

id equidem noluerim cum Schottio pro certo statuere. Hilarius autem Comment. in Matth. C. XXV. XXVI. ed. Maur. 1693 p. 729 sq. ait: quia tria (a discipulis) in unum quaesita sunt, distinctis et temporis et intelligentiae separationibus significantur. Respondetur igitur primum de civitatis occasu et confirmantur veritate doctrinae, ne quis fallax ignorantibus posset obrepere." Et postquam de Simone Samaritano verba fecit, ita pergit: „quia hoc in Apostolorum tempora conveniret, Christus ait: non est finis. Sed ne tunc quidem, cum gentes adversus se mutuo et regna concurrent. — Sed cum universis fuerit cognitio sacramenti coelestis invecta, tum Jerusalem occasus et finis incumbet." Itaque elucet, Hilarium in prima parte capitis v. 4—14 Hierosolymorum interitum videre praedictum. Et Irenaeus aut similiter de v. 4—14 sensit; aut ab Hippolyti partibus stetit (v. inf.). Illud vero concedo, et Irenaeum et Hilarium ad eorum numerum pertinere, qui ad orbis finem properent, urbis excidium parvi pendentes et revelationis Christi plenioris spei sese tradentes. Quo factum est, ut et Irenaeus et Hilarius versum 15 reliq. ad Antichristi tempora referrent (Hil. c. XXV, §. 3), et ad finem mundi. — Ambrosius quoque cum Hilario sentit et Irenaeo, non ita quidem, ut cum Hilario τὸ τέλος v. 14 ad urbis Judaicae ruinam, sed rectius ad mundi finem trahat; sed v. 4—14 de tempore extremum judicium antecedente, v. 15 sq. de Antichristo, Christi redeuntis praecursore agi, ipse quoque statuit. Cui opinioni Lutherus quoque ex parte favisse deprehenditur. Quanquam enim vv. 15—36 non de una re, e. g. fine mundi Christum loqui praeclare cerneret, sed primum de Judaicae civitatis strage, deinde de rebus extremis, tamen ait (Opp. ed. Walch T. XI, 2496): In diesem Capitel ist beschrieben der Ausgang und das Ende beyder Reiche, des Judenthums und auch der ganzen Welt. Aber die zween Evangelisten Marcus und Matthaeus werfen die beyden in einander, halten nicht die Ordnung, die Lucas gehalten hat, denn sie nicht weiter (d. i. auf Weiteres) sehen, denn dass sie die Worte Christi geben und erzaehlen." Et quanquam cognoscit, v. 15—21 proprie pertinere ad gentem Judaicam (§. 10. p. 2500: Das gehoeret noch Alles zum jüdischen Volk cf. §. 14. 2502), tamen quoniam Evangelista certos fines ponere noluerit res Judaicas ab extremis sejungentes, ita demum Matthaeo satisfecisse sibi videtur, ut, sicuti versus sequentes (v. 22 etc.) ad utrumque eventum trahendos sibi persuasit (§. 15. 2503), ita quoque priores versus ad utrumque referat eventum. Qua ratione et ipse ansam nanciscitur, ut v. 15 Antichristi i. e. Papae romani regnum videat delineatum; id quod alibi quoque identidem affirmat T. XVIII, 1815 sq. 1849 (cll. Matth. 4. 5) 1919. XVI, 2011. Ceterum sicut Lutherus, Lucae seriem laudans (XI, 2496) et reliquis anteponens, satis cognitum habuit, verba v. 15—21 secundum Christi sententiam proxime ad Hierosolyma spectare, typice

timant: de duplici autem eventu aut triplici agi, utrique negant. Cujus rei causam esse loci ipsius indolem et rei naturam suspicari possis. Nam sectionum capitis nostri distinctiones lucu-

---

solum ad Antichristi tempora et rerum consummationem, ita apud patres post Hilarium et Ambrosium magna est consensio, certe inde a versu 15—21 Christum urbis non orbis excidium vaticinari. Quod persuasum habentes neutiquam impediebantur, quo minus Hierosolymorum incendium ipsis quoque tanquam fax typica signumque flagrans judicii futuri videretur esse et incendii mundi.

Nihilo minus confiteor, alios Patres per totum caput unam rem, seculi scilicet finem, vidisse. Hippolytum enim ineunte sec. tertio florentem et Ambrosium non solum v. 15—36 sed initium quoque capitis ad res extremas et Antichristi tempora manifeste deflexisse reperio, (cf. librum illi adscriptum de consummatione mundi c. 8. ed. Fabric.) multisque aliis sub initia rerum christianarum hoc placuisse confido. Ambrosius autem, ut alia mittam, et ipse de Hierosolymis sejunctim sermonem esse v. 4—14 non statuit, sed praesagia quaedam et signa Antichristi ibi deprehendisse sibi visus est, quanquam in eo longe sit praeferendus Hippolyto, quod non ad finem mundi omnia ablegavit, sed jam ipsius tempore seculisque prioribus effata Christi (v. 4—14 et 15 sq.) impletionis continuae et cepisse incrementum et capere satis perspexit. Cf. Ambrosii Comm. in Ev. Luc. ad C. XXI. T. III, 200—208. ed. Paris. 1661.

Quare dicere fas est, locum nostrum eum habuisse decursum historicum, ut *a*) primum a multis statueretur, Christum post v. 2 (*οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ καταλυθήσεται*) de urbe Judaeorum non amplius multa verba fecisse eamque nonnisi obiter tetigisse, rem quippe ratam notamque non ulterius persequendo: et qui ita sentiebant, illi omnia, quae v. 4 sequuntur usque ad capitis finem, ad extrema tempora trahebant: magnas sane ita difficultates, praesertim v. 29 obvias facile devitantes. *b*) Sed alii cernebant, discipulorum quaestioni ad urbem quoque pertinenti hac ratione parum satisfactum. Quare si non Irenaeus, Hilarius tamen et Auctor operis imperfecti versus 5—14 urbis excidio concedebant, multosque ipsorum quoque tempore fuisse, qui *τὸ τέλος* v. 14 de Hierosolymorum ruina intelligerent, auctores sunt Origenes et Augustinus. *c*) Sed postquam accuratius interpretari coeptum est, plurimi Patres viderunt, v. 15 rel. non statim de Antichristo loqui, sed de tempore extremum Antichristi regnum longe antecedente. Quo pertinent ii, qui aut intelligentes, v. 4—14 de urbis ruinâ nondum separatim (quod propter v. 3 cll. 2 exspectandum erat) Christum locutum esse, aut effata v. 15 sq. de Antichristo nolle intelligi persuasum habentes sed de urbis excidio, versibus 15 sqq. de gentis Judaicae strage sermonem fieri viderunt. Huc referendi Tertullianus, Origenes, Eusebius, Basilius, Augustinus, Chrysostomus, Theodorus Heraclius aliique. Sed valde diverso illi modo, sive sectionem priorem v. 4—14, sive posteriorem v. 15 sqq. spectes. *α*) Primum enim, quid certi de vv. 4—14 statuerent, non habebant. Si

lentas multi desiderant: res ipsa vero, de qua Christus verba facit, ita est composita, ut Christus omnia, quae capite nostro tradidit, tanquam unius ejusdemque operis eschatologici partes, judicialis

vv. 15 sqq. Hierosolymorum devastationem significant, arridebat sane, ea quae antecedunt (v. 4—14), de intervallo inter Christi mortem et urbis excidium interjacenti intelligere, ut claro orationis flumine illud tempus ab ipsa urbis ruinâ (v. 15 sqq.) exciperetur. Quare Origenem vides (ad Matth. XXIV, ed. de la Ruan. T. III, 851 sqq. c. 33. 39) ad id sese accingentem, ut versibus 4—14 eventus urbis excidium antecedentes reperiat, sed mox offendit eum versus 5 de Antichristis multis loquens, eâque de causa haud sane ad quadraginta plus minus annorum angustias restringendus (c. 33). Simili modo judicat de traditorum ante urbis occasum inter Christianos raritate (v. 10 c. 39). Nec non similia de turbis gentium et bellorum v. 6. 7. indicatis Praesertim vero cum Augustino clarissime perspexit, Evangelium apud omnes gentes Apostolorum temporibus nec praedicatum esse (v. 14. c. 39 p. cui non contradicit de Princip. IV, 2) nec odio fuisse (v. 9). Quare eô Origenem vides inclinantem, ut v. 4—14 ad tempora quoque longe seriora, i. e. et ad suum aevum et ad posteriora trahat, sicuti Ambrosius fecit. Sed difficultatem et speciem interrupti sermonum ordinis fluminisque (id quod Ambrosius facile effugit quippe v. 15 sqq. de rebus seris intelligens), Origenes non dissipat, sed scalam allegoricam nactus repente transilit. Tertullianus quoque de resurr. carn. c. 22 ita loquitur: „Interrogatus a discipulis, quando eventura essent, quae de templi exitu eruperat, ordinem temporum primo Judaicorum usque ad excidium Hierusalem, dehinc communium usque ad conclusionem seculi dirigit.“ Nam posteaquam edixit, et tunc erit Hierusalem conculcatui nationibus donec adimpleantur tempora nationum allegendarum scilicet a Deo et congregandarum cum reliquiis Israelis; inde jam in orbem et in seculum praedicat secundum Joëlem et Danielem — futura signa in sole et lunâ et in stellis“ (Matth. v. 29. Lc. 24). Quare suspicari possis, Tertullianum non solum v. 15—21 aut 28. Lc. XXI, 20—24 de urbis exitu putasse disserere, sed etiam versus antecedentes. Sed obstat Apologet. adv. Gent. c. 20, ubi gentium turbas, famem, luem, justitiae raritatem etc., de quibus versibus 4—14 fit mentio, ad sua ipsius tempora refert. Omnium veterum Patrum plurimus est Chrysostomus in versibus 4—14 ad eventus urbis occasum praecedentes trahendis; (cf. Corderii Catenam Patr. in S. Lucam Antverp. 1628. ad Luc. XXI p. 512 sqq. Nicet. Caten. Tol. 1647. 706—712. Possini Caten. p. 313—316. Tolos. 1646. Chrysostomi opp. ed. Montf. altera Paris. 1836. T. VII, 2. homil. in Matth. 75. (al. 76) p. 816 sqq.), qui τὸ τέλος Matth. v. 14 ad urbis finem non mundi trahit, idque studet evincere, reverâ ante Hierosolymorum interitum Evangelium ab Apostolis ubique gentium praedicatum esse. Chrysostomus Eusebium videtur secutus esse (cf. Nicetae Cat. ad Matth. 710). Cum Tertulliano vero et Origene facit Augustinus in eximia Epistola ad Hesychium datâ ed. Maur. Ven. 2. T. II. Ep. 199.

officii unitate complexus esse videatur. Sed suspicioni illi non nimis tribuendum censeo. Etenim, quanquam operis eschatologici unitatem facile concedam, hujus tamen operis diversae sunt partes, non tempore solum, sed etiam internâ indole distinctae. Et si quis dixerit, partes quidem per sese spectatas satis esse distinctas, sed sermone apud Matthaeum et parall. obvio distinctiones aboleri (de quâ re infra videbimus), minime tamen loco ipsi Matth. XXIV. crimini dari potest res sane mira illa, quod de unâ quidem re aut inde a v. 15 sqq. aut per totum caput (v. 4—36) agi utrique volunt, sed alius

cll. 197. (al. 78. 80) quae infra memorabitur. Sed quamvis Augustinus longe omnium praestantissime de v. 14 judicaret, ibique opus religioni christianae in hac terra perficiendum indicatum clarissime perspiceret, tamen ne ipse quidem quid satis certi de ratione inter v. 4—14 et v. 15 sqq. intercedente statueret, habuisse videtur. Certe intercepti v. 15 fili speciem nec ipse dissolvit, cum praesertim post urbis ruinam et post medium quoddam aevum, quod ipse indicatum reperit, orationem ad τὸ τέλος v. 14 recurrere fateatur. β) Sed praeter haec altera Patres antiquos ceteroqui de versu 15 sqq. ad urbis exitium referendo consentientes, tenet diversitas. Valde enim in eo ambigunt, quousque pateat Judaicae calamitatis vaticinatio. De qua re suo loco plura dicenda erunt. Id unum, quoniam ad luculentum historiae loci conspectum multum facit, referre hoc loco juvat: postquam intromissa fuerat Hierosolymorum mentio primum in versus 5—14, deinde in versus 15 sqq., mora nulla dabatur ante v. 29, et qui aut totam sectionem v. 15—28 aut saltem ejus partem (e. g. v. 21—28 aut 23—28) rebus extremis reservare volebant, pedetentim gradu depulsi totam aream inde a v. 15—28 Hierosolymorum excidio et rebus proxime annexis relinquere cogebantur. γ) Jam vero grandia illa verba inde a v. 29 sequentia vallos firmos et neutiquam transiliendos objicere videbantur, ne ultima quoque sectio (v. 29 — 36) urbis excidio concederetur et ne hujus ruinae mentio excidium orbis quasi exterminaret et absorberet. Sed recentiorum theologorum rara scilicet fortitudo et ars exegetica hanc quoque sepem facile et extenso quasi digito minando devicit. Eoque jam deventum esse videtur, ut aequalium permulti in capite nostro nil nisi gentis judaicae cladem stragemque relatam legentes, a judicii extremi exspectatione hunc orbem quasi redemtum gestire videantur, tanquam λύτρον mortalium judici divino plene satisfaciens, callide populum Judaeorum proponentes. De quibus v. not. 3.

3) Diligenter hos recentiores collectos habet Schottius l. c. p. 74—76. not. 28. 29. Prae aliis nomino Bahrdt, Eckermann, Hencke et Clericum, quem Schottius praetermittit. Enimvero Lightfoot (opp. II, 367. 368). Wetstein, Flatt al. certe capite XXV Christum de extremo judicio locutum confitentur (XXV, 31 sq.); Süsskind autem et Kuinoel jam c. XXIV, inde a versu 37 aut paulo post.

de alia. Utramque enim partem tantum veritatis habere et assensu textus ita gaudere videbimus, ut adversariae parti jure suo resistat. Unde debet elucere, non de unâ re sed de pluribus textum loqui.

Exegetica sane vi non arte utraque pars suum, quod potissimum voluit, assecuta est: genio suo potius indulgentes, quam necessitati exegeticae cedentes utrique suum in locum devenerunt. Nam persuasio illa, Christum ad judicia extrema rediturum, a recentioribus istis aut omnino recessit aut elanguit: fidei historicae sese profitentur cultores observantissimos, sed Christum habent mere historicum, i. e. praeteritum, non eum, qui heri hodieque idem, fons vitae coelorumque rex in aeternum regnat judex futurus mortuorum et vivorum. Veteres autem illos Christi redituri spei ita indulsisse constat, ut Hierosolymis dirutis μονονοὺ nihil Christo judice et religione ejus dignum in orbe terrarum peractum esse putarent. Quare horum non pauci capite XXIV apud Matth. Hierosolymorum nonnisi tanquam typi judicii extremi (v. not. 2), minime vero hujus urbis ipsius causa mentionem factam esse affirmant.

Sed revera Christum de urbis sacrae interitu ex proposito loqui et Matthaeus ostendit XXIV, 1. 2. cll. 15. 16. (*τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη* Mc. XIII, 14.) et Lucas testis est XXI, 21. 24, et nemo sane, quod norim, ex recentioribus illud negat. Apud veteres quidem percrebuerat opinio, Antichristum ex gente Judaica fore oriundum, restituturum templum suique ipsius cultum instituturum, tantamque ejus fore potentiam, ut reductis in Palaestinam undequaque Judaeis Hierosolyma habeat templumque regni sui thronum, Judaeam vero per multas gentes patentis imperii centrum. Quamobrem qui ista somniavere, opinantur, eo ipso consilio monere Christum v. 16., ut suorum quisque illo tempore Judaeam et Antichristi regnum effugiat. [4])

---

4) Hujus opinionis ea est singularitas, ut quaerendum sit, unde manârit. De Antichristo quidem suo tempore affuturo aliunde multa nota erant. Sed mira illa, quam indicavimus, sententiae hujus efformatio si non ortum tamen ansam cepit, ni fallor, ex interpretatione loci nostri Antichristum versu 14 (*βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ*) deprehendente, et locum 2 Thess. II, 4 sibi adsciscente.

Cujus opinionis vestigia habes in Testam. XII Patr., apud Irenaeum, Hippolytum et Hilarium; nequaquam vero nostro loco idoneum nacta est fundamentum: id quod jam Patrum longe plurimi viderunt.

De extremo vero quoque tempore Jesum loqui, indigitat quaestio ab Apostolis de parusia Christi facta (XXIV, 3) et de *συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος*, probat v. 35 et v. 30. 31. Nam illud *ἔρχεσθαι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς* de aliâ Christi parusiâ intelligere, quam de extremâ, vetat Matth. XXV, 31. XVI, 27. Et *τοὺς ἀγγέλους* (v. 31) dicere apostolos et doctores undequaquam ecclesiam colligentes vetamur ut totâ hujus loci natura et ratione ita loco Matth. XIII, 4 sq.: *ὥσπερ οὖν συλλέγεται τὰ ζιζάνια καὶ πυρὶ καίεται, οὕτως ἔσται ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος. Ἀποστελεῖ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ καὶ συλλέξουσιν κ. τ. λ.*

Quare inter melioris notae interpretes non ambigitur, de utroque Christum eventu loqui, et de Hierosolymorum excidio et de judicio extremo. Illud vero plurimis parum certum est, quo quaeque commata sint referenda, quousque Christi verba tractent proxima, gentis Judaicae stragem et occasum, ubinam vero et unde spectent longe remota et extrema. Veruntamen id ipsum scire summi ponderis est. In orationis Jesu tenore distinctiones quaedam et caesurae exspectandae sunt, unde liqueat, quid quo sit trahendum. Nam si prorsus non possumus decernere, quo quidque spectet, nihil Christus dixisse, nihil discipulis et ecclesiae suae manifestasse videbitur. Nam quae prorsus non possunt intelligi, ea veluti indicta manent dicta; magna vero sane pars orationis Christi intelligi nequit, si caesura omnis desideratur et distinctio rerum prorsus disjacentium; aut saltem definiri non poterit, quid pertineat ad Hierosolymorum dirutionem remque jam praeteritam, quid etiamnunc post urbis exitum velit ab ecclesia ipsius exspectari.

Ceterum quo magis elucescat, quantum referat, orationis Jesu intervalla seu incisuras investigare, accuratius videamus, quid sequatur, si plane desiderentur: et primo quidem, quid sequatur, si Christum, deinde quid, si Christi discipulos, Evangelistas tam inconditae et inarticulatae orationis autores nuncupaveris.

Si Christum ejus labis dixeris autorem, Christus aut ipse

nescivit vera, aut falsa vidit. Nam eum vera scivisse, falsa dixisse, nemo existimat. Atqui primum, si Christum ipsum dicas nescivisse, quid quo sit referendum, eumque (quod nonnullis lubet) [5] quae visione prophetica juxtim posita intuebatur, ea sermone suo junctim protulisse, et promiscue nunc de Hierosolymis et gentis Judaicae fatis nunc de fine mundi locutum esse, prophetiam ei adscripsisti nil revelantem, i. e. otiosam, ne dicam erroneam et ita comparatam, ut veri cognitionem magis impediat atque turbet, quam promoveat. Etenim multum interest, nescire diem et horam judicii (Matth. XXIV, 36) et nescire, utrum eventus quidam, quos futuros praedicat, pertineant ad Hierosolymorum dirutionem, an ad judicium extremum. Si Christus nesciebat, utro singuli eventus, quos vaticinatur, sint referendi, nescivit ipsam interiorem eorum naturam. Natura enim cujusque eventus determinatur et quasi signatur natura et ratione totius facti, cujus ipse pars est. Fateor, si Christus de rebus his extremis vaticinans *μάντις* erat, si cognitionem habebat rerum futurarum eam, ut singula quaeque in obtutum ipsius cadentia abrupta essent et disjecta, nec connexa quasi et colligata ideâ mundi et historiae, quae suo quaeque loco ponit, suo orbi adscribit: fieri potuisse, ut nesciret, quo quaeque spectarent et pertinerent, quae suis aperiebat. Sed si Christi prophetia talis erat, non est Propheta *κατ' ἐξοχήν*, apex et

---

5) e. g. Auctori operis imperf. in Matth. hom. XLVIII (Jo. Chrys. opp. ed. Montf. altera Paris. 1836. T. VI, 2 p. 940. 941: Dominus non separatim dixit, quae signa pertineant ad destructionem Jerusalem, et quae ad consummationem mundi, videlicet ut eadem signa pertinere videantur et ad manifestationem destructionis Hierusalem et ad manifestationem consummationis mundi: quia non quasi historiam per ordinem exposuit eis, quomodo res erant agendae (i. e. quo ordine et nexu), sed prophetico more praedixit eis, quae res erant agendae. Similiter sese habet V. D. Hengstenberg Christologie d. A. T. I, a. 305 sqq. Ceterum errat Straussius dicens Leb. Jes. ed. 3. T. 2, 380: Bekanntlich hat Hengstenberg die Vorstellungsweise aufgebracht, es haben sich dem geistigen Schauen — die zukünftigen Dinge nicht sowohl im Medium der Zeit, als vielmehr des Raumes, gleichsam als grosse Tableaux dargeboten — wobei Vorder- und Hintergrund sich mit einander vermengt haben; und diese Theorie von einem perspectivischen Schauen etc. Nam J. A. Bengel, Gnomon. 1743. p. 139. hanc theoriam exponit, quanquam ita, ut confusionem rerum dissitarum excludat, earum in angustum coactionem per prospectum in futurum factam doceat.

finis prophetiae, satiusque eum duxisse credam, tacere, quam speciem movere, se altiorem rerum extremarum cognitionem habere, praesertim quum eventus illi singuli, a nexu ideali et teleologico avulsi, a loco suo organico depulsi religionis et veritatis parum habere, caliginis et erroris multum ciere posse videantur. Itaque si Christo non μαντείαν sed prophetiam adscripseris, vix tibi persuadebis, eum, qui nesciverit diem et horam judicii, nescivisse etiam, quo singula pertinerent, quae discipulis suis tradenda putavit. Si nesciebat, μάντις forsan erat, cognitas habebat res pusillas, e. g. terrae motus etc., nesciebat magna, i. e. nexum singulorum eventuum cum internâ regni sui indole teleologicum. Sin eventus sciebat, ordinem rerum nesciebat, sed nonnisi de eo quaedam conjiciebat; non potuit sine peccato ordinem incertum vendere pro certissimo, conjecturam pro prophetiâ (e. g. v. 29. cll. 35). Rursus, si Christus ea, quae suo loco posita suam habent necessitatem, suum sensum, alio loco posita videbat et edisserebat, jam ad alteram opinionem perventum est: i. e. Christus ipse ab erroris et falsiloquii labe vix immunis erit censendus. Sed quo majori, privatus utique certitudine interna, errorem tuetur et propagat firmitate et securitate: eo magis injuriae erit accusandus et laesi veritatis sensus interni. Nonnullos viros huic opinioni addictos Schottius nominat (l. c. p. 94 not. 37 e. g. Hartmannos, Keilios, Bretschneideros); eandemque post Straussium aliis quoque placere constat (cf. Str. Leben Jesu 2, 367 sq. ed. 3). Sed si tale quid esset statuendum, tota quaestio eschatologica in Theologorum scholis cassa foret, et cessaret absurdum jam scilicet nodorum solvendorum studium; religione enim christianâ cessante absurda sane esset Theologia christiana superstes.

Meliori viâ ii videntur incedere, qui Christum internum rerum ordinem aut scivisse, aut certe non permiscuisse et perturbasse putant, sed qui discipulos ejus verba Christi parum intellexisse et confudisse suspicantur. Non inficias eo, veri quadam specie hanc opinionem amiciri posse. Reputa ardentem parusiae exspectationem, animos discipulorum iterato Domini sui adventui quasi inhiantes Luc. XIX, 11. Et quum magno eos dolore afficeret per Christi mortem illata necessitas, procrastinandae spei messianae; haud ita abhorret a

vero, eosdem, postquam Christus judicium de Hierosolymis ferendum manifestarat, parum promtos fuisse, extremum judicium ab hoc quoque judicio discernere et in tempora ulteriora differre, sed inclinasse ad conjungendos eventus utrosque, uti nunc liquet, longo temporis intervallo distantes. Veruntamen haec quoque opinio mihi eo videtur reducere, ut faucibus Caudinis implicemur. Sic enim fatendum erit, longa quidem Christum oratione apostolos suos et ecclesiam (Mc. XIII, 37. ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω) de rebus extremis voluisse edocere, sed rem ex votis ipsi non cessisse, in cassum eum locutum esse, nec ipsam spiritus sancti illuminationem cognitionem eorum emendasse, nec memoriam rectam ipsis restituisse.

Is enim consensus reperitur apud Evangelistas triumviros, ea harmonia, sive respexeris sententias sive verba, orationisque progressum, ut ab unanimâ Apostolorum traditione haec fluxisse, juste omnia ponderanti minime dubium esse possit. Quodsi illi viri, qui Christi ad genus humanum legati erant futuri, et citra quorum praedicationem genuina Christi doctrina ad nos pervenire non poterat, prave eum intellexerunt, ad Christum redundabit aut electionis discipulorum non juste peractae aut impotentiae suspicio. Nam cum per Apostolos Ecclesiae suae rerum extremarum cognitionem communicare voluerit, Apostoli autem (ex hypothesi illâ) non modo non cognitionem, sed errores tradiderint, Jesus ipse in aestimandâ Apostolorum indole errasse dicendus est. Dicet aliquis: „recte concludis, si res eschatologicae tanti sunt ponderis et cognitio earum tam necessaria, ut magnopere dolendum sit, quod insanabilis discipulorum Jesu error a vera de his rebus magistri doctrina nos seclusit, eamque nobis intercepit; sed haec doctrina non tanti est momenti; ideo nec Christus ita multum curabat, utrum recte an prave a suis intelligeretur; sed nonnisi apostolorum curiosam impatientiam verbis sedare volebat, non rerum cognitionem allaturis, sed eorum mentes salubriter occupaturis, sicuti puerorum incommoda curiositas reprimi solet verbis rem non revelantibus sed interpretandi studium exercentibus. Errores discipulorum praevidebat, sed parvi pendebat in re parvâ parum nocituros.“

Si quis ita rem expedire conatur, otiosam sane sibi finxit

finis prophetiae, satiusque eum duxisse credam, tacere, quam speciem movere, se altiorem rerum extremarum cognitionem habere, praesertim quum eventus illi singuli, a nexu ideali et teleologico avulsi, a loco suo organico depulsi religionis et veritatis parum habere, caliginis et erroris multum ciere posse videantur. Itaque si Christo non μαντείαν sed prophetiam adscripseris, vix tibi persuadebis, eum, qui nesciverit diem et horam judicii, nescivisse etiam, quo singula pertinerent, quae discipulis suis tradenda putavit. Si nesciebat, μάντις forsan erat, cognitas habebat res pusillas, e. g. terrae motus etc., nesciebat magna, i. e. nexum singulorum eventuum cum internâ regni sui indole teleologicum. Sin eventus sciebat, ordinem rerum nesciebat, sed nonnisi de eo quaedam conjiciebat; non potuit sine peccato ordinem incertum vendere pro certissimo, conjecturam pro prophetiâ (e. g. v. 29. cll. 35). Rursus, si Christus ea, quae suo loco posita suam habent necessitatem, suum sensum, alio loco posita videbat et edisserebat, jam ad alteram opinionem perventum est: i. e. Christus ipse ab erroris et falsiloquii labe vix immunis erit censendus. Sed quo majori, privatus utique certitudine interna, errorem tuetur et propagat firmitate et securitate: eo magis injuriae erit accusandus et laesi veritatis sensus interni. Nonnullos viros huic opinioni addictos Schottius nominat (l. c. p. 94 not. 37 e. g. Hartmannos, Keilios, Bretschneideros); eandemque post Straussium aliis quoque placere constat (cf. Str. Leben Jesu 2, 367 sq. ed. 3). Sed si tale quid esset statuendum, tota quaestio eschatologica in Theologorum scholis cassa foret, et cessaret absurdum jam scilicet nodorum solvendorum studium; religione enim christianâ cessante absurda sane esset Theologia christiana superstes.

Meliori viâ ii videntur incedere, qui Christum internum rerum ordinem aut scivisse, aut certe non permiscuisse et perturbasse putant, sed qui discipulos ejus verba Christi parum intellexisse et confudisse suspicantur. Non inficias eo, veri quadam specie hanc opinionem amiciri posse. Reputa ardentem parusiae exspectationem, animos discipulorum iterato Domini sui adventui quasi inhiantes Luc. XIX, 11. Et quum magno eos dolore afficeret per Christi mortem illata necessitas, procrastinandae spei messianae; haud ita abhorret a

vero, eosdem, postquam Christus judicium de Hierosolymis ferendum manifestarat, parum promtos fuisse, extremum judicium ab hoc quoque judicio discernere et in tempora ulteriora differre, sed inclinasse ad conjungendos eventus utrosque, uti nunc liquet, longo temporis intervallo distantes. Veruntamen haec quoque opinio mihi eo videtur reducere, ut faucibus Caudinis implicemur. Sic enim fatendum erit, longa quidem Christum oratione apostolos suos et ecclesiam (Mc. XIII, 37. ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω) de rebus extremis voluisse edocere, sed rem ex votis ipsi non cessisse, in cassum eum locutum esse, nec ipsam spiritus sancti illuminationem cognitionem eorum emendasse, nec memoriam rectam ipsis restituisse.

Is enim consensus reperitur apud Evangelistas triumviros, ea harmonia, sive respexeris sententias sive verba, orationisque progressum, ut ab unanimâ Apostolorum traditione haec fluxisse, juste omnia ponderanti minime dubium esse possit. Quodsi illi viri, qui Christi ad genus humanum legati erant futuri, et citra quorum praedicationem genuina Christi doctrina ad nos pervenire non poterat, prave eum intellexerunt, ad Christum redundabit aut electionis discipulorum non juste peractae aut impotentiae suspicio. Nam cum per Apostolos Ecclesiae suae rerum extremarum cognitionem communicare voluerit, Apostoli autem (ex hypothesi illâ) non modo non cognitionem, sed errores tradiderint, Jesus ipse in aestimandâ Apostolorum indole errasse dicendus est. Dicet aliquis: „recte concludis, si res eschatologicae tanti sunt ponderis et cognitio earum tam necessaria, ut magnopere dolendum sit, quod insanabilis discipulorum Jesu error a vera de his rebus magistri doctrina nos seclusit, eamque nobis intercepit; sed haec doctrina non tanti est momenti; ideo nec Christus ita multum curabat, utrum recte an prave a suis intelligeretur; sed nonnisi apostolorum curiosam impatientiam verbis sedare volebat, non rerum cognitionem allaturis, sed eorum mentes salubriter occupaturis, sicuti puerorum incommoda curiositas reprimi solet verbis rem non revelantibus sed interpretandi studium exercentibus. Errores discipulorum praevidebat, sed parvi pendebat in re parvâ parum nocituros."

Si quis ita rem expedire conatur, otiosam sane sibi finxit

apostolorum relationem, otiosa Christi verba: paedagogiae Christi non eschatologiae imaginem habebis. Sed renuunt prorsus verba Christi; ita enim sunt comparata, ut non exercendi ingenii materiam sed doctrinae solidae fundamenta, eaque apta ad cogitationes ecclesiae eschatologicas moderandas, suppeditare velint. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι Matth. XXIV, 35. Mc. XIII, 31. Lc. XXI, 33. Haec verba grande sonantia non nemonstruosi aliquid et falsi haberent, si Christus per λόγους illos opinionis quidem auctor esset, se res futuras ecclesiae revelare voluisse, revera autem nihil revelasset, seu propter tenebras verbis ejus obfusas, seu propter discipulorum hebetem intellectum? Si discipuli ejus prave eum intellexerunt, quid reverâ Christus dixerit, nulla aetas subsequens decernere poterit, et nulli omnino homini Servator verba sua dixisse videbitur, quae summi ponderis esse ipse judicavit. Nos vero sciemus quidem, Christum multa de his rebus dixisse, sed quis sit verborum ejus sensus genuinus, in aeternum ecclesiae militanti ignotum erit, et Christus, si sciebat, verba sua nunquam intellectum iri, in sectione nostra mire et otiose μονολογεῖν videbitur, quum docendi habitum oratio ejus prae se ferat.

Itaque nec illis album calculum nostrum adjiciemus, qui fatentes quidem, de duabus rebus, Hierosolymorum excidio et extremo judicio, Christum verba facere, tamen eas aut Christi cognitiones et oratione parum distinctas aut discipulorum intellectu confusas suspicantur. Jacta est alea: aut desperandum non solum de sectione nostra intelligendâ, sed de Apostolorum et ipsius Christi vera cognitione et auctoritate, aut incisurae certae atque perspicuae sunt quaerendae, quippe quae solae et suo quaeque loco ponere possint, et orationis diversa tractantis satis intelligendae facultatem praebere.

Me non fugit, haud ita paucos esse, anathemate quasi exegetico eum ferire paratos, qui recusaverit adstipulari opinioni ipsorum, quam axiomatis loco fovent, nempe: varios eventus, quos Christi orationem attingere certum est, multorum quidem seculorum spatio historiâ teste distentos esse, nullo vero in relatione apud Evangelistas Synopticos obviâ, sed confusos ita, ut quid

quoquo pertineat, extra judicium nostrum positum sit et in aeternum manere debeat.

Sed quum mihi persuasum sit, eschatologiam non parvi momenti doctrinam esse, (de quo in libro meo de Christologiae historia scripto et brevi recudendo plura afferendi locum nanciscar) et quum vix intelligam, quomodo Christi et Apostolorum auctoritas ea, quam tenere debet ecclesia christiana, salva esse possit, si commixtionem illam cognitioni eschatologicae letalem statueris: necessitatem quandam video injunctam, tam positivam quam negativam, ut non solum loci nostri difficultates solvantur, sed etiam doctrinae eschatologicae a Christo ibi propositae fontes aperiantur. Quare iterum atque iterum reversus ad locum nostrum classicum et examinans interpretum in loco nostro consensus et dissensus eorumque caussas, cernere mihi videbar promtum et paratum longe plurimorum concentum fore, si modo solverentur difficultates quaedam, quas superari posse desperans acumen interpretum, paene improbe laboriosum atque exuberans, in tam diversas partes abactum est.

II.

Neminem rerum harum gnarum mihi contradicturum puto, ponenti, interpretes fere ad unum omnes primum paratos fuisse, ut quae post Luc. XXI, 24 seu inde a Matth. XXIV, v. 29 dicta sunt, ab Hierosolymorum interitu probe distincta esse agnoscerent et ad remotiora tempora pertinere primo obtutu animadverterent; sed vocula *εὐθέως* v. 29 aut posthac comma 34: *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται* eos retraxerunt a viâ coeptâ. Pauci quidam in eâ perseverârunt, sed ita, ut vix candido lectori fidem facere possent, causam se justam agere [6]. Ceteri autem praecipites alio versus tendebant.

6) Glassius al. probare student, *εὐθέως* moram indicare (Glass. Philol. S. 1705 p. 951). Afferuntur loci Matth. XIII, 5. IV, 5. — Alii (cf. Wolf, Curae I, 350. ed. 2) *εὐθέως* non vertunt statim, sed derepente, improviso, quod itidem reperiunt Johan. VI, 21. Act. XII, 10. Apoc. IV, 2, sicut Herodianus VIII, 1. de *φυγῇ εὐθείᾳ*, fuga repentinâ loquatur. Hoc placuit Wernsdorfio in Disp. de textu evang. Dom. II. adventus de adventu Christi ultimo accipiendo. 1714. et Oleario, qui monet Job V, 3 pro voce hebr.

Sed quod saepe evenire videmus in vita nostra, primum obtutum et primitias quasi studii acerrimi esse judicii et verissimi, idem forsan in nostra causa evenit. Quod quomodocunque se habet, illud certe confitendum puto, quemque eorum, qui difficultatibus illis deterriti alio atque alio tendebant, certitudinem nullam et assensum paucorum viâ suâ novâ assecutum, difficultatibus vero non minoribus sed majoribus irretitum esse, quam quas fugere cupiebat. Quod ubi a nobis demonstratum fuerit, viam illam, a quâ

פִּתְאֹם versionem LXX habere *εὐθέως*. Quibus Schottius accessit l. c. 98 sq., qui nostrum Matth. textum versionem graecam ex hebraico idiomate esse monens suspicatur, Matthaeum scripsisse פִּתְאֹם, quod etiam recenti versioni N. T. hebraicae Londini editae placuit. Sic sensus foret: quandocunque res v. 29 indicatae ingruerint, subito evenient. Sed (ut alia praeteream) qui scribit: subito post calamitatem, hanc calamitatem non longo temporis spatio a sequentibus vult separari. *Εὐθέως* vero non ad *μετὰ τὴν θλίψιν τ. ἡ. ἐ.* sed ad verbum *σκοτισθήσεται* referre cum Oleario nimis arduum et tortuosum videtur. — Alii, ut Sim. Episcopius per *θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων* universam illam calamitatem intelligi putant, Judaeos etiam post excidium urbis toto illo longissimo tempore, quo induratio et rejectio nominis judaici duratura sit, oppressuram (cf. Wolf l. c. qui et ipse huic sententiae favet). Huic opinioni e nostratibus Hoffmannum (Weissagung und Erfüllung 2, 276—278) accessisse video. Sed obstat v. 21. 22. — Alii ut e recentioribus rursus B. Scheibel (cf. Schott l. c.) nos ablegant ad calculum divinum; Deo enim mille anni sunt veluti dies unus. Sed Christus hominum utique docendorum causa linguâ humanâ loquebatur. — Alii ad propheticae visionis indolem redeunt, cui longe distantia proxime postposita possint videri: nam stellas quoque quasdam videmus prope conjunctas, quarum aliae longo post alias spatio positae sunt. Sed de hac fraude opticâ supra disputatum (p. 9) et nonnisi sic hanc opinionem probari posse ostendimus, ut nexu interno eoque proximo utrosque eventus conjunctos esse eluceat. Sed quanquam notio judicii conjungat Hierosolymorum excidium cum rebus ultimis, tamen idem nexus in aliis quoque judiciis in historiae decursum cadentibus obvius est. A Judaeorum strage ad extremum judicium transeundi necessitas aut libertas tunc esset suppeditata, si Hierosolymis dirutis opus Evangelii in orbe terrarum perficiendum absolutum esset. Quod quum negandum sit, negandum quoque, Christum vatem veracem dicere potuisse: *εὐθέως* post illud fatum Hierosolymorum redibo. — Alii criticas adstruunt artes. Weber vocabulum *εὐθέως* versui 28 addit, scite allegans Job. XXXIX, 30; particulam *δέ* transponit post *μετά*. Sed recusantibus ille omnibus codicibus et versionibus antiquis (Schott l. c. p. 95). Quid de versu 34 viris doctis placuerit, infra videbimus.

desciverunt, non parvam recuperaturam commendationem confido.

Nonnulli (cf. not. 3.) putarunt, etiam verbis commatis 29: ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ etc. Hierosolymorum et reipublicae Judaicae interitum poëtice depingi[7]), caesuram vero, de quâ agitur, post versus 29 sq. quaerendam, aut omnino nullam dari. Cui sententiae obstat. v. 29: μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων. Has voces respicere ad versum 21 ἔσται γὰρ τότε θλίψις μεγάλη — et 22: εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι — διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι in aperto est. Jam vero nemo dubitare potest, τὴν θλίψιν μεγάλην v. 21 et 22 significare caedem clademque gentis Judaicae et urbis eversionem; itaque verba v. 29 μετὰ τὴν θλίψιν ad tempus posterius spectare liquet. Deinde luxuriari et parum apte exuberare videretur Christi oratio, si urbis Judaicae excidium describeret versus 29. Etenim talia non quadrare in gentis unius ejusque minoris casum, et urbis sanctae dirutionem, sed nonnisi in eventum ad universum mundum et totum genus humanum pertinentem apud Orientales aeque atque apud Occidentales in confesso futurum puto (cf. Lc. 25. ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν. v. 26. οἰκουμένῃ). Quod si negaveris, non exhibere poteris, quibus aliis verbis iisque grandioribus Christus uti potuerit, si eventum indicare volebat, cujus dignitas plane universalis esset. Refragatur denique Luc. v. 24. Jidem si, uti assolent, sequentes quoque versus 31—36 ad Hierosolyma referendos putant, longe impeditiori viâ incedunt. Nam quid erit tempore excidii illius urbis τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου φαινόμενον ἐν τῷ οὐρανῷ, quid erunt πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς κοπτόμεναι, denique ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενος ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ in majestate sua et gloria, stipatus angelorum coetu innumero (v. 30. 31. cll. XXV, 31.)? Qui contulerit cum v. 30 locos Matth. XVI, 27. (Mc. VIII, 38. Lc. IX, 26) Matth. XXV, 31. XXVI, 64 (Mc. XIV, 62), cum versu 31 locum Matth. XIII, 41. cll. Apoc. XIV. 15—20 et 1 Thess. IV, 16, agnoscet, has ipsas phrases quasi solennes Christo fuisse, quibus

7) Recrudescit hic error a Königsmanno et Zeltnero propositus (cf. Wolf l. c. 349) in mediocri utique Sticherti Comment. exegetico-criticâ, quae inscripta est: de reditu Christi ad judicium solenne de omni terrarum orbe ferendum. Lips. 1841.

reditum suum ad judicium extremum significaret. Quare elucet, non meliori loco positos esse eos, qui inde a v. 36 demum aut 43 Jesum ad judicium extremum transiisse putant, uti Süsskind et Kuinoel; aut eos, qui usque ad caput XXV, 31 delabuntur. (cf. Schott. p. 75.) Quae hypotheses non unam voculam aut duas, sed omnem orationis tenorem, verba sensumque totius sectionis habent reluctantia et erroris ipsos convincentia. Quod sane ex iis illi sensisse videntur, qui fatentur, his versibus inde a vicesimo nono apud Matth. de Hierosolymorum excidio nonnisi ita adhuc agi, ut Hierosolymorum interitus typus fieret combustionis mundi.[8]) Sed et hoc plane erroneum. Quanquam enim judicium de Hierosolymis latum extremi judicii typum insignem esse lubenter confiteor, tamen typice de re quavis ita demum disseri potest, ut ante omnia agatur de re illa, quae futurorum typus sit: sed nequaquam his versibus de Hierosolymis ulterius Christum loqui, satis monstratum puto.

Securiori itaque tramite incedere videntur, qui caesuram illam, Hierosolymorum dirutionem a temporum posteriorum eventibus sejungentem et clare distinguentem, ante versum vicesimum nonum se reperisse sibi persuadent. Haud exiguum sane commodum nacti sibi esse videbantur, si ante ipsum v. 29 talia quaedam reperissent, quibuscum apte vocula εὐθέως ita conjungi posset, ut ad ea, quae Hierosolymorum interitum proxime sequerentur, eam referendi nulla necessitas obstringeret.

Sed hic quoque magna opinionum varietas oboriri potest. Etenim aut omnia in sectione secunda (v. 15 sqq.) obvia et ante versum 26 posita ad tempora Judaeis funesta referre poteris, versus 26. 27. 28 autem reservare temporibus subsequentibus; (i. e. seu judicio extremo seu aevo cuidam intermedio); aut recurrere ad versum 24 aut 23, aut 21, et cuncta, quae sequuntur certe usque ad v. 29., statui illi intermedio vel judicio extremo dicare [9]).

8) Lightfoot l. c. ad v. 30. p. 367. Alios videsis apud Schott. p. 76. n. 29.

9) Jis, qui uspiam ante versum 29 et post v. 15—20 gradum figi volunt certosque distinctionum fines anquirunt, accensendi sunt e veteribus Chrysostomus, qui teste Catena a Possin. ed. p. 319 ambigit (cum Luthero v. not. 2), utrum verba v. 21: „erit tribulatio magna, qualis non fuit inde ab initio mundi,“ ad urbis excidium an ad orbis consummationem pertineant.

Jam singulas has opiniones examinemus. Et primum quidem quaerendum, num versus 26 aut 27 terminum certum exhibeat. Fateor cum Schottio l. c. 68—71, non omnes versus illud εὐθέως antecedentes ad Judaicae gentis infortunium pertinere: excipiendos statuo e. g. versus 27. 28, quibus non id contineri putem, Hierosolymorum devastationem pro parusiae Christi opere habendam. Nam verba v. 27 minime ita sunt comparata, ut unam gentem aut urbem spectent, sed universum orbem terrarum (ἀπὸ ἀνατολῶν ἕως δυσμῶν.) Et cum judicium de Hierosolymis latum non tale esset, quod omnes incredulos confiteri cogeret, Christi hic conspici manum, Christi judicis agnoscendam parusiam; haec certe parusia invisibilis esset, Christus vero v. 27 visibilem et omnibus eventu ipso certam et irrecusabilem parusiam innuit, fulguri similem subito omnium ubique oculis praesenti. Quare v. 27 pertinet ad parusiam κ. ἐ., id est ad extremum judicium. Quod si ita de v. 27 statuendum, v. 28 quoque non ad Hierosolyma praecipue spectare verisimile est: dictum enim hujus commatis quum adagii instar habendum sit (Lc. XVII, 37. Job. XXXIX, 30. Habac. I, 8.), nolim statuere, sub vulturibus cadaveris cupidis potissimum Romanorum rapacitatem, aut regium — uti aquilae inter aves —

Veruntamen posteriori sententiae magis favet; et locis aliis, quos ex Chrysostomo Catena Nicetae refert p. 714, 715, plane certus est, de gente Judaica versibus 21. 22 adhuc sermonem esse; et pari modo hom. in Matth. 76. l. c. 826 sq. Sed inde a versu 23 omnia refert ad mundi finem; (Opp. VII, 2. l. c. pag. 828 sq.) Cui affinis est e nostratibus Ebrardus (cf. V. D. librum: Wissenschaftliche Kritik der evangelischen Geschichte, Frankf. 1842. p. 610—620, praesertim p. 617 et ejusdem Commentationem, quae inscripta est: Adversus erroneam nonnullorum opinionem, qua Christus Christique apostoli existimasse perhibentur, fore ut universale judicium ipsorum aetate superveniret. Erlangen 1842.) ita tamen, ut non statim de rebus extremis agi censeat sed versibus 23 sqq. de eventibus inter Hierosolymorum finem (v. 22) et mundi (v. 29 sqq.) interjacentibus, cum mundi fine autem arcte cohaerentibus, quippe quod verba εὐθέως δὲ μετὰ etc. flagitent. Aliâ viâ Kistemakerus incedit, terminum vallumque et ipse quaerens ante v. 29; quem versu 24 ita sibi reperisse visus est, ut non intermedium quoddam aevum versibus 24—29 descriptum videat, sed statim extrema Antichristi tempora, Chrysostomo ab una parte similis. De Kistemakero cf. Schottium l. c. p. 74. not. 27 et p. 77. 78. Ceterum hi omnes τὴν θλῖψιν v. 29 referunt ad tribulationem dierum pseudoprophetarum aut Antichristi. cf. Chrysost. l. c. p. 830.

principatum, aut legionum Romanarum aquilas argenteas occuli. Neque vero magis parusiam quandam saepe iterandam hic video traditam; nam si v. 28 sensus foret: quandocunque seu una civitas, seu plures et genus humanum putredine spirituali maturuerit ad inferendam poenam, judicium irruet et ego judex praesto ero, hoc sine dubio parum quadraret ad v. proxime antecedentem. Subito enim post visibilem eamque universalem parusiam, quae non potest non esse una et ultima, descenderetur ad parusias multas, invisibiles, particulares, i. e. ad sermonem ab una parte versui 27 ita oppositum, ut post *ὅπου* particula *δὲ* vix deesse posset. Idcirco v. 28 non ad tempus (*τὸ πότε*) referendum puto, nec doctam hic video parusiam Christi per omnes mundi aetates futuram, quanquam lubentissime fateor poëtae illud tritissimum: „die Weltgeschichte ist das Weltgericht" suam habere veritatem Christianis quoque satis notam, quippe qui Providentiae nostra curantis et judicii per historiae periodos decurrentis Christum vadem habeant divinum atque arbitrum. Sed ad locum (*τὸ ποῦ*) versum 28 referri debere patet, si contuleris voculas *ὅπου* et *ἐκεῖ* v. 28 cum v. 26. 27, ubi de loco apparitionis Christi finalis agitur. Idem demonstrat parallelus apud Lucam locus c. XVII, 37: quaerunt enim discipuli: *ποῦ κύριε;* respondet Dominus: *ὅπου τὸ σῶμα* = *πτῶμα* etc. Ita sensum habebis hunc v. 27: non uni loco adstricta erit apparitio mea finalis, quandocunque illa eveniat, (de quo nil hic dicitur) non in civitate et urbe hac vel illâ (e. g. Hierosolymis, Pepuzae) apparebo: sed quousque extensa est mundi putredo, eo usque vadet et penetrabit suo tempore parusia mea judicium extremum illatura; ergo sicuti omnipraesentiam quandam in mundo habet peccatum judicium vindicativum excitans, ita parusia mea justitiam manifestatura non angustioribus contenta erit finibus, quam putredo generis humani. Vides imagine cadaveris et aquilarum seu vulturum idem plane significari, quod postea Mt. XXIV, 31. Mc. XIII, 27 messis imagine adumbratum habes cll. Mt. XIII, 40. 41. Angeli enim Mt. XIII, 39. XXIV, 31 respondent *τοῖς ἀετοῖς* loci nostri; quatuor venti *ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν* respondent verbis *ἀπὸ ἀνατολῶν ἕως δυσμῶν*, *τὸ πτῶμα* respondet *τῷ ἀγρῷ* = *κόσμῳ* Matth. XIII, 38 praecipue

vero τοῖς ζιζανίοις seu υἱοῖς τοῦ πονηροῦ, Mt. XIII, 38. 40. et τοῖς σκανδάλοις v. 41.

Sed quanquam lubenter concedimus, his duobus versibus 27. 28. non amplius de Hierosolymis agi, tamen prorsus nego, incisuram, quam quaerimus, aut v. 27 aut v. 26 reperiri. Priori opinioni reluctatur v. 27 particula γὰρ, alteri intimus versus 26 cum antecedentibus nexus, qui indicatur verbis ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν κ. τ. λ., reluctatur utrique loci tota facies, non ita sane composita, ut jam transiri putemus ad vaticinationem de rebus aut novissimis, aut novissimorum signis proferendam, postquam antea tantummodo de Hierosolymis sermo fuerat. Verba v. 27. 28. enim hoc loco non vaticinationis causa posita esse apparet, sed admonitionis et doctrinae. Ne discipuli fallerentur a Pseudoprophetis et Pseudochristis, promissa sensui carnali perquam grata facturis et illecebras dulcissimas structuris, dicit: μὴ πιστεύσητε, et ut certum signum habeant, quo illorum falsitatem agnoscant, pergit v. 27. 28. quandocunque parusia sua eveniat, de cujus tempore hoc quoque loco nihil effatus est, illud ipsis debere certum esse, non occultam, singularem, particularem eam fore, non uni loco adstrictam, sed universum orbem terrarum collustrantem, seu miti gratiae luce (cf. Matth. XIII, 42. et Lc. XXI, 28) seu devorante judicii fulmine (Matth. XXIV, v. 27. 28.). Praeterea difficultas voculae εὐθέως ne sic quidem expedita esset, si verba vv. 27. 28 de parusia Christi, vel continuâ, vel pluries iterandâ dicta arbitraremur. Haberes quidem ita intervallum aptum interjacens inter Judaicae gentis cladem et judicium extremum; haberes etiam opportunitatem, factorum quotquot libuerit intervallo illi inserendorum; ita ut facultas data videatur, vocis εὐθέως μετὰ κ. τ. λ. non ad Hierosolyma, sed ad proxime antecedentem eventum, ad ultimam quandam judicii particularis revelationem referendae. Sed species haec brevi diluitur. — Etenim sic Christus locutus esset: Ne nimis cupide parusiam ultimam exspectetis; nam sicuti urbis Judaicae devastationem vindictae meae signum vos habere decet, (Luc. XXI, 22 ἡμέραι ἐκδικήσεως) quanquam non visibilis hominum oculis apparebo (v. 27): ita per omnem seculorum seriem me prope a vobis abesse, me judicio justo cujusvis temporis πτώ-

ματα petiturum atque feriturum pro certo statuatis (v. 28). Ceterum statim post angorem illorum dierum sol obtenebrabitur etc. v. 29 et parusia ultima ingruet. Viden', ita versum 29 nullum omnino sensum praebere, magnumque hiatum inter versum 28 et 29 obvium futurum? Etenim liquet, verba *μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων* certum aliquem et unum eventum respicere, quem statim subsequantur illa, quae v. 29 indicat. Quodsi, uti illa interpretatio vult, non de uno eventu agitur v. 27. 28, sed de lege aliquâ omnia secula pari modo quasi permeante, verbis *εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων* nullus plane sensus inerit, nullusque plane locus datus erit historicus atque certus, quo insistentes sciamus, paulo post (*εὐθέως δὲ*) eventura esse illa, quae v. 29 docet.

Quare praeferenda videtur eorum conjectura, qui ulterius regredientes versu 22 aut 23 judicium de Hierosolymis ferendum absolutum putant, deinde vv. 23 aut 24 sqq. procedi ad tempus intermedium, urbis Judaicae excidium sequens, diem extremum vero antecedens. Kistemakerus itaque et Ebrardus in his versibus 24—26 aut 23—26 certum aliquod factum quaerunt idque tale, ut verba v. 29 *εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων* non pertineant ad urbis deletionem (renuere enim videbatur *εὐθέως*) sed tamen habeant, quo apte referantur. Hoc sibi reperisse videntur v. 23 ff. aut 24 sqq. Kistemakerus ita, ut vv. 24 sqq. deprehendat Pseudoprophetas et Pseudochristos tempore ultimo exorturos, judicium extremum antecessuros et prope illud instare indicaturos. Sed si respexeris ad Matth. v. 4. 5. 11., certum debet esse, Christum Pseudoprophetas et Pseudochristos non exspectasse solum sub mundi finem, sed jam discipulos primos impense iterum atque iterum monendos putat, ne Antichristis, qui numerosi sint surrecturi, aurem praebeant (v. 4. 5. cll. v. 8 *πάντα δὲ ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων*). Quare quum Christus Matth. v. 23—26 non de uno Pseudochristo loquatur, aut unâ eâque supremâ spiritus antichristiani manifestatione, sed de multis (v. 24. 26.), verisimile erit, Christum his vv. loqui de malo non ad extrema solum tempora pertinenti, sed saepe forsan redituro, imo ad apostolica jam tempora pertingenti (cf. v. 4. 5.): nec adversari huic verbo historiam ecclesiae antiquissimam, satis

notum est. Tantum enim abest, ut hoc loco spiritus inimici aggressum unum tantum et ad dies ultimos reservatum Christus insigniverit, ut versu 23: *τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, ἰδοὺ ὧδε ὁ Χριστός, ἢ ὧδε, μὴ πιστεύσητε* et v. 24: *ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι κ. τ. λ.*, adducti non possimus non Pseudochristos et Pseudoprophetas hoc loco notatos inde a tempore excidii Hierosolymitani exspectandos putare. Fateor, voculam *τότε* non necessario significare: eodem tempore, quo prius dicta evenerunt; potest quidem, uti nostrum „dann," ad posteriora spectare, sed nonnisi ita, ut cum prioribus intime conjungat. Non itaque dubito, quin Christus etiam haereses multo post Hierosolymorum finem orientes notare potuerit: sed primarie tamen tales respexit errores, qui non ita multo post Hierosolyma eversa emergere inciperent.

Quare quanquam facile concedo, voculam *τότε* sensu latiori sumi posse, tamen difficilis atque dura manebit, si v. 24—26 ad ea trahas, quae ultimis diebus evenient, cum Hierosolymorum autem excidio nexum certum et necessarium omnino nullum habent. Itaque praetermissis aliis rationibus interpretationi Kistemakeri contrariis pergamus ad Ebrardum, qui intelligens verba vv. 23—26 non restringenda esse ad ultima tempora, totum aevum medie positum inter Hierosolymorum ruinam et mundi finem a Christo ibi respici putat. Seductores et pseudoprophetas post Hierosolyma diruta exstituros, non semel sed saepe redituros, multosque ab iis in devia huc et illuc abactum iri. Itaque de longo seculorum post Christum natum tractu nil dictum foret, nisi errorum et seductorum copiam magnam aut quavis aetate aut multis tamen futuram. Sed si vv. 23—26 non de unius temporis facto verba faciunt, sed de tali, quod idem multis temporibus recurrat, ne nutu quidem addito de crescenti usque ad finem mundi errorum vi atque impetu, nescio, quomodo hoc signum multoties rediens nobis praebeat eventum illum certum atque definitum, quo utique clarissime respiciunt verba Christi (versu 29): *εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων κ. τ. λ.* (v. s. p. 19). Ebrardus itaque ab alia parte probabilior esse videtur Kistemakero, mittens opinionem, nonnisi de ultimi temporis Pseudoprophetis agi. Sed simul hoc concedens commodo omni se privavit, quod quaerebat, et verba *εὐθέως μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκεί-*

νων plane repugnant conatui, ad incerti plane temporis eventum et saepe redeuntem ipsa referendi. Si eventus per omnia tempora recurrens parusiae Christi signum est, parusia Christi quoque recurret identidem, erit continua, nec de reditu ad judicium peculiari loquendum. Sed praeterea aliae causae refragantur. Nam negandum quoque, *τὴν θλίψιν* v. 29 referri posse ad Pseudoprophetas (vv. 23—26). *Θλίψις* est *θλ. τῶν ἡμερῶν ἐκείνων* — sed *ἡμέρας* et tempora vv. 24—26 non reperies indicata; v. 23 deprehendes *τότε* — sed apparet, Ebrardum parum promtum fore, ut voci *τότε* — annectat verba *εὐθέως δὲ μετὰ τ. θλ. κ. τ. λ.* Deinde *θλίψις* non usurpatur de seductione et defectionis periculo, sed de calamitate, invitis inflictâ. cf. Matth. XXIV, 9. *τότε παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλίψιν καὶ ἀποκτενοῦσιν ὑμᾶς.* Rom. VIII, 35. Denique supra monuimus, *τὴν θλίψιν τῶν ἡμ. ἐκ.* (v. 29) non posse non respicere ad v. 21 *τὴν θλίψιν μεγάλην*, et ad iteratas v. 22 voces *αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι*, i. e. referri ad Hierosolymorum excidium. Illud vidisse suspicor eos, qui (cf. not. 9) etiam vv. illos, qui *τὴν θλίψιν μεγάλην* et *ἡμέρας ἐκείνας* commemorant, (vv. 21. 22.) ad tempora extrema referendos putaverunt. Sed particulâ *γὰρ* plane invitâ hoc fieri nequit (Matth. XXIV, 21. Mc. XIII, 19. Luc. XXI, 23). Nam propositio v. 22 causam affert, cur deceat precari, ut effugium nanciscantur illo tempore Judaeis funesto saltem fideles. — Quare mittendos puto varios hos conatus, textu renuente incisuram a versu 29 in priorem capitis partem translocantes. Videmus, v. 29 aperte regredi ad Hierosolymorum devastationem rerumque Judaicarum cladem v. 22 absolutam, eademque verba repetuntur v. 29 *θλίψις, ἡμέραι ἐκεῖναι*, ne ullum possit de hoc orationis regressu dubium remanere.

Quodsi itaque in confesso debet esse, versu 29 orationis tenorem annecti commati 22, simul patet, versus interjacentes (23—28) appendicis loco positos esse. Qua appendice Christum quodammodo transitum parare ad ea, quae v. 29 sq. edixit, lubenter fateor: quippe post Judaismi cladem singularia quaedam pericula ecclesiae imminere, Dominus videbat: et ab iis ut suos tueretur, ei curae esse videmus. Sed versibus 23—28 tempus certum indicari, aut vaticinium historici cujusdam eventi proponi, quod signum haberi velit Christus ultimae diei proxime instantis, per-

nego. Illud statuendum video, tempora cladis Judaeorum ita fuisse comparata, ut Christus singulari circa ea admonitione opus esse, videret. — Pseudochristorum enim aut Pseudoprophetarum frequentia apud Judaeos seculo p. Ch. n. primo et secundo occurrens non fortuito quodam casu sequebatur urbis interitum, sed rerum judaicarum cladem causam habuit necessariam: miseriae enim profunditas aut exitium supinum aut auxilium proximum oculis proponebat. Christiani quoque exitii Judaeorum tempore peculiaribus quibusdam periculis sine dubio circumdati erant, si Christus post ruinae Hierosolymorum mentionem statim ad extrema tempora transibat, et aviditati discipulorum cum exitu urbis extremum judicium statim conjungenti fraena relaxabat silendo de spe parusiae suae illo quoque tempore caute et sapienter fovendâ. Etenim multi e gente Judaica Christiani, quo erant animi habitu, nisi diserte Christus eos ab hoc errore avocârat, poterant τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος quasi proxime instantis falsi assertores, signorumque parusiae otiosi speculatores fieri. — Christiani vero ab Ethnicis oriundi post fractam metropoleos christianae auctoritatem eo poterant abripi, ut et a V. T. et ab omni historico rei christiani fundamento sejungerentur, cujus custodes quasi et testes nativi Christiani illi esse debebant, qui e Judaeis erant. Quare satis perspicimus, cur Christus v. 23 dixerit τότε, et v. 24 ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, i. e. cur dixerit, singulari post Hierosolymorum dirutionem cautione opus esse. Sed ea ipsa de caussa tantum abest, ut versuum 23—28 consilium agnoscamus vaticinium positivum de certo quodam eventu, ad diem ultimam immediate spectante, ut totam hanc appendicem praesertim admonitionis loco positam suspicemur, ne erroribus quos nominavimus post urbis illius finem minantibus sese dederent. Quae admonitio inde ab urbis excidio locum suum necessarium habitura erat, sed quousque pateat et ad quorumnam temporum fines sese extendat, Christus minime dicere voluit. Quare nonnisi modo negativo huic appendici vaticinium inesse video. Nam si Christo utile videtur et necessarium, urbis ruinae mentioni addere admonitionem, ne Christiani velint illo tempore nimis proclives esse ad spem Christi reditum statim exspectantem, verbis ipsius satis clare inest negativum quasi vaticinium, ne statim post Juda-

ismi stragem parusiae ipsius inhiare velint, sed potius caute incedere, ut a multimodae pseudodidascaliae fraude ex illo inde tempore ecclesiam vexatura immunes sint. Cui versuum 23—28 interpretationi patrocinatur Luc. XXI, 24 cll. 25, nec non historia ecclesiastica. Exspectari poterat, Christianos cum Hierosolymorum exitu mundi quoque finem conjunctum iri putaturos. Sed nullibi reperitur, illo praesertim tempore spem parusiae Christi vividiorem viguisse. Quod mirum sane esset, nisi hae nostrae orationes Christi eschatologicae apostolos docuissent, parusiam Christi a judicio de Hierosolymis ferendo discernendam esse. Deinde illud quoque evenisse vides, quod admonitione illa v. 23—28 continetur, inde a metropoleos christianae exitu multis ecclesiam erroribus infestatum iri. Nam Docetarum et Gnosticorum haeresin, historicam Christi personam vel attenuantium vel negantium, quanquam ejus semina multis locis praesto essent, post fractam demum Christianorum metropolin segete nimis laetâ exuberasse, constat, idque interno quodam vinculo historico cum judaicae gentis strage cohaerere, plane mihi persuasum est. Etiam Ebjonitarum haeresi eandem stragem ex parte quadam favisse, puto. In angulum enim exinde redacti Christianorum plurimi, qui ex Hebraeis erant, et a reliquae ecclesiae communione intercepti commentis aut suis aut alienis indulgere coeperunt. Veruntamen non ad proximos hos seductores admonitionem Christi restringendam esse, sed longe latius eam patere posse ostensum est. Nulla itaque ars exegetica ex versibus 23—28 eventum unum certumque elicere poterit, qui quadret ad verba versus 29: *μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων.*

Itaque altera quoque via, ante versum 29 orationis incisuram ita quaerens, ut vocula *εὐθέως* habeat, quo apte referri possit et expediatur, nova quaedam impedimenta incurrere, primarias vero difficultates, quae in versibus 29 et 34 sitae sunt, immotas relinquere videtur. Sed priorem eorum viam, qui in adversum euntes etiam inde a v. 29 de Hierosolymis Christum loqui autumant, pariter in devia deflectere vidimus. Itaque historia interpretationis loci nostri demonstrat, hunc ipsum versum 29 *τὸν λίθον τοῦ προσκόμματος* ita fuisse, ut, qui scandali metu locum et pondus ejus negligere auderent, angularis lapidis dignitate eum

dejicere ejusque loco alium quendam totius structurae rectorem a dextra alii a sinistra alteri eligere cuperent, votis suis plane exciderent. Angulari lapide reprobato totius orationis ejusque structurae ordo ipsis perturbari debebat: ipsi vero privati orationis intellectu, gradu quasi dejecti erant. Hoc ipso versu principalem quandam totius orationis rite progredientis juncturam esse et commissuram positivo modo nondum demonstratum est. Hoc vero elucere puto ex praedictis, neminem eorum, qui aliam quaesiverunt, orationis partitionem salvum manere potuisse ab erroribus: omnes relicto loco illo in lubricum abactos esse, firmi gradus locum nusquam ultra consequentes.

Vix refert, eorum mentionem facere, qui a versu inde 29 ad finem usque capitis diversa segmenta distinguentes ante v. 29 Christi parusiam ad devastanda Hierosolyma, v. 29—33 signa finis mundi legunt, v. 34. 35. rursus adventum Christi ad ferendum de Judaeis judicium, v. 36 nonnulla de tempore finis mundi, denique v. 37 ff. vigilantiae commendationem ob instantem Christi et ad Judaeos puniendos et ad consummandum mundum parusiam. Talia ponere desperantis est, non intelligentis. Orationem haberes dissectam, huc illuc vacillantem; relationem eam, quae confusionis satis certa testimonia prae se ferret. Matthaeum dicunt effata Christi similia et interno sensu cohaerentia conglobare et in unum redigere solere. Quod si sumas, cur defuerit sibi et a se ipso desciverit, non cognata, sed longe dissita et plane diversa conjungens? cur a servatoris more, qui sane nec perturbate loqui solebat, nec desultorie agere, recesserit, cum, si sibi constitisset, sine dubio et indoli suae, et causae atque fidei historicae multo magis consuleret? Immo fatendum puto, Matthaeum ea, quae retulit, verba Christi eo sensu sumsisse, ut non saltus incertos in diversas partes huc et illuc deferentes, sed orationem Christi intra affinium rerum fines certo ordine decurrentem videret. Sed ita quoque duplex ratio intercedere potest, nam aut relatio Matthaei ea est, quae recte intellecta certum et expeditum referat tenorem orationis Christi, fallere fallique nescii; aut Matthaeus ea, quae longo seculorum intervallo dissita sunt, Judaicae gentis cladem et judicium extremum simul ingruere putabat eademque Christum docuisse tradebat, et sic confusionem habebis inextricabilem, va-

ticinationem Christi plane incertam et quid quo sit referendum in dubio relinquentem. Neque par alterum Evangelistarum multo aliter ac Matthaeus sese habet; quare omnis apostolorum chorus tam erroneae traditionis autor debere esse (v. s. p. 11). Sed hujus opinionis consequentias fidei christianae ita intolerabiles supra reperimus, ut malit ipsa extingui, quam suspiciones illas admittere contra Christi veritatem, auctoritatem, potentiam aut benevolentiam motas. Itaque Theologum decet, aut silere, aut justo modo difficultatum solutionem quaerere.

Ad hoc opus nos accingentes renunciamus artibus omnibus nativam vocum vim violantibus (e. g. in voce εὐθέως cf. n. 6 adhibitis), aut leges grammaticas atque lexicologicas contemnentibus: ingenue enim agendum et omni animi candore. Nolumus evadere, sed vera videre. Quare renunciandum quoque putavimus triplici effugio ab acumine interpretum parato: primum opinioni, Christum tali prophetiâ potuisse instructum esse, quae in errore uti ajunt optico versaretur, de quo supra disseruimus (p. 9. 14,); deinde commento, quod Christus vigilantiae consulturus populi christiani dixerit εὐθέως, quum aut non sciret, quando sit venturus mundi finis, aut sciret, longe serius eum venturum. Qui ita pravâ ratione causam bonam Christum juvare voluisse suspicantur, obliti sunt, ad duplicem usque, non unam perversitatem hominum animum inclinare: et praeproperam Christi redeuntis exspectationem in periculum non minus vocare rem christianam, quam negligentiam illam. Itaque hos tam ineptos rei christianae defensores judico, ut accusatorum Christi in numero sint habendi. Sed abstinendum quoque arbitramur tertio illo effugio satis trito, convertendâ nempe in usum nostri loci doctrinâ, Christi parusiam esse continuam. Quanquam enim verissimum est, judicium extremum non esse generis plane alius atque e. g. judicium de Hierosolymis latum; quanquam confiteor, si rem penitius indages, unam esse parusiam eamque progredientem, donec interna parusiae Christi virtus mundo nostro quasi immanens et gratiosa et judicialis, ab imis generis nostri penetralibus scandat et progrediatur ad pellucidam sui manifestationem externam; quanquam denique pro certo habeam, Christum templi devastationem et urbis non solum vaticinatum esse (quod infra ostendemus), sed sui judicii, suaeque

potentiae opus satis aperte alibi indicasse, nego tamen, de hac unâ eâdemque parusiâ, saecula hominum permeante, in sectione nostrâ disertim agi; versus 27. 28. enim alio modo interpretandos supra vidimus. Alibi talia habes (e. g. Matth. XXVIII, 20); nostro capite de hac perenni parusiâ tacuisse Christum video, sine dubio consulto, ne diluerentur τῆς παρουσίας κ. ε. notio atque fines. Sed fac, Christum nostro quoque capite parusiam suam cogitasse unam eamque continuam; manere certe debebunt variae ejusdem manifestationes, quas Christus non poterat confundere, nec confusionis autor esse apostolis de rebus obscuris ita loquendo, ut sermone suo, quae discernenda et bene dispungenda essent, non distingueret. Tale quoque effugium cladem judicaremus (cf. p. 9. 10), non victoriam, quam speramus: etenim et discipulorum quaestio duplex Matth. XXIV, 3. 1) quando devastabitur templum hocce, 2) quid erit signum parusiae tuae et finis mundi? distinguit judicium de Judaeis ferendum a fine mundi, et parusiam Christi liquide reservat consummationi mundi, quanquam sine dubio a Christo audire cupiunt, parusiam suam cum gentis Hebraeorum strage conjunctam fore. Cui quaestioni duplici Christus si respondebat, ea commiscere non poterat, quae ipsi distinxerant ita, ut a Christo ea conjungi prave cuperent. Accedit, quod Christus quoque παρουσίας voce solenniter nonnisi de reditu ad judicium extremum utitur Luc. XVII, 26. Matth. XXIV, 37., non de aliâ quadam sua in mundo praesentiâ. Addo, quod Christo, uti videbimus, non solum curae fuit, incuriosam reditus sui negligentiam excitare atque percutere, sed etiam praecipitem impatientiam, quam et ipsam errorum funestorum materiam videbat futuram, sedare. [10])

10) Pericula magna non solum e reditus Christi incuriâ sed etiam ex impatientia illa manare, nemo interpretum acrius vidit Calvino. — Hic habes quaedam, huc pertinentia. Harmon. Ev. T. II, p. 261 sq. ed. Tholuck. „Simulac periturum esse templum dixit Christus, ultro illis in mentem venit consummatio seculi. Atque ut error errorem parit, quia persuasi erant, statim ab exordio regni Christi se modis omnibus beatos fore, praeteritâ militia ad triumphum protinus convolant. Christi ergo adventum et mundi finem cum templi eversione conjungunt. — Nam quum omnes a molestiis, certaminibus omnique crucis specie naturâ abhorreant, urget harum rerum taedium, ut sine moderatione, sine spe ad spei fructum intempestive properent. Ita fit, ut sementem facere nullus velit, metere omnes ante tempus velint. — P. 262:

Utroque autem munere aliter fungi non poterat, quam probe distinguendo Hierosolymorum excidio a reditu suo finali. Quod si omittebat, confusione rerum longe dissitarum duplicis erroris autor esse debebat, ante Hierosolymorum devastationem praeproperae parusiae exspectationis; postea vero erroneae quaestionis, nonne omnia jam absoluta sint, quae Christus vaticinatus sit, et exinde incuriae. Itaque si volebat Ecclesiam suam semper fidei in ipsum et desiderii adventus sui plenam esse, distincte docere debebat, se post Hierosolyma diruta exspectandum, nequaquam vero judicium illud quantum libet terribile parusiam suam (cf. v. 3.) esse, dicere poterat.

III.

Missis igitur istis effugiis expeditiori et firmiori gradu forsan nobis pergere licebit viâ rectâ. Cujus directionem certam ut habeamus et constanter teneamus, non solum verba media et postrema capitis nostri (v. 15 sqq.), quod hucusque fieri solebat, excutienda erunt, sed singulari curâ (quod plerumque omissum video) pars quoque prior (v. 3—14) perlustranda erit.

Responsum tulerunt minime ex animi sententiâ. Nam quum triumpho veluti jam militiâ perfuncti inhiarent, Christus eos ad longam tolerantiam hortatur: ac si dixisset, Vos ab ipsis carceribus palmam arripere vultis: atqui prius stadium conficere necesse erat. — Summa haec est: evangelii praedicationem esse sationis instar; ideo patienter exspectandum esse tempus messis, ac perperam molles esse et effeminatos, qui propter hiemis gelu, nives, nebulas, vel adversas tempestates animis franguntur. Et p. 268 ad v. 14: Sic ergo resolvi debet hoc postremum membrum (*τότε ἥξει τὸ τέλος*): non ante adveniet finis seculi, quam duris et laboriosis tentationibus ecclesiam meam diu exercuerim: nam falsae imaginationi, quam apud se conceperant Apostoli, opponitur. Unde rursus discendum est, non praefigi certum diem. — Verum non aliud fuit ejus consilium, quam Apostolis nimium cupide ad coelestem gloriam transvolantibus frenum tolerantiae injicere; ac si dixisset, non ita cito, ut sibi finxerant, instare redemptionem, sed interpositos esse longos anfractus." — Chrysostomus quoque vidit, quonam errore discipuli laboraverint. Dicit enim (Cat. Nic. ad v. 6) *ᾤοντο δὲ οἱ μαθηταὶ ἅμα τῇ κατασκαφῇ καὶ τὴν συντέλειαν ἔσεσθαι. Καὶ ταύτην διορθούμενος αὐτῶν τὴν ὑπόνοιαν ἔλεγεν· Ἀλλ' οὔπω τὸ τέλος.* cf. Homil. in Matth. 75 (al. 76) l. c. p. 815. B. 817. B.

Etenim quo eamus haud sane certum esse potest, si nescias, unde exiveris, id quod plerisque accidisse videtur in capitis nostri explicatione. Sed ut sciamus, unde exeamus, id quoque necessarium èrit, quod non impune praetermitti video, ut universum doctrinae Christi typum de rebus eschatologicis apud Synopticos obvium mente tenentes ad explicandum locum nostrum accedamus. Ea enim ubique ratio intercedit inter totum ejusque partes, ut, qui alterum ab altero avulserit, nec totum habeat nec partes, qui utraque obtutu suo conjunxerit, utraque collustrare et firmare videatur.

Fateor quidem, spem auxilii a parte priori (v. 3—14) petendi statim rursus evanescere videri et desiderium nostrum frustrari. Novae enim potius difficultates ex parte illa succrescere videntur, quam adminicula. Etenim querelae illius saepe prolatae de confusione judicii de civitate Judaicâ ferendi et de mundo universo sedes atque fons praecipuus hucusque nobis videbatur esse v. 29 (εὐθέως) et forsitan v. 34 (γενεὰ αὕτη). Jam vero attractâ parte priori ejusdem confusionis novum exemplum ascivisse videmur. Nam post v. 3 rursus v. 15—22 de proximo eventu, i. e. Hierosolymorum excidio agitur, quanquam versus 14 jam de fine mundi disseruerat (τότε ἥξει τὸ τέλος). Sunt quidem, neque ii rari, qui novam hanc difficultatem ita evitare velint, ut versus 4—14 ad tempus inter Christi aetatem et Hierosolymorum eversionem intermedium referant, τὸ τέλος autem v. 14 sensu relativo non absoluto sumant.[11]) Sed hoc quoque effugio supersedendum

---

11) cf. not. 2. Chrysostomum (opp. VII, 2. 818.) et Eusebium huic opinioni favisse nec non Hilarium supra vidimus. Sed bene viderunt Origenes et Augustinus hujus interpretationis errorem. Quorum ille l. c. c. XXXIX p. 858 ait: Nondum multi proditores de ecclesia facti sunt et nondum falsi prophetae exstiterunt multos fallentes (v. 10. 11.) sic et nondum odio habiti sunt ab omnibus gentibus, etiam in ultimis partibus terrae habitantibus, propter nomen Christi; sic et nondum praedicatum est evangelium regni in toto orbe. Non enim fertur praedicatum esse evangelium apud omnes Aethiopas, maxime apud eos, qui sunt ultra flumen, sed nec apud Seras nec apud Orientem audierunt Christianitatis sermonem. Quid autem dicamus de Britannis aut Germanis, qui sunt circa Oceanum, vel apud Barbaros, Dacos et Sarmatas et Scytas, quorum plurimi nondum audierunt evangelii verbum, audituri sunt autem in ipsa seculi consummatione? Si autem vult quis temere

censeo. *Τὸ τέλος* enim v. 6 (*ἀλλ' οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος*) respicit ad *τὴν συντέλειαν τοῦ αἰῶνος* v. 3 (cf. Luc. XXI, 9. Mc. XIII, 7). Quomodo vero *τὸ τέλος* Matth. v. 14 alio sensu accipi posset? Praesertim cum finis respondeat initio, *τὸ τέλος* respiciat ad *τὴν ἀρχὴν τῶν ὠδίνων* Matth. XXIV, 8. Mc. XIII, 9, et longa eventuum series pertineat ad has *ὠδῖνας*? Multa praeterea haec series

---

dicere praedicatum esse jam evangelium regni in toto orbe, in testimonium omnibus gentibus, consequenter dicere poterit, et quod ait: „tunc erit finis," jam finem venisse quod dicere temeritatis est magnae. — Quare Origenes versus 4—14 non ad tempus ante Hierosolymorum ruinam elapsum restringit, sed longe latius et ad suam quoque ipsius aetatem eos patere autumat. Cujus opinionis asseclam habet Ambrosium (Comm. in Luc. XXI, l. c. 202). Ait enim ad v. 6. 7. „Quanta proelia et quantas opiniones accipimus proeliorum! Hunni in Alanos, Alani in Gotthos, Gotthi in Taifalos et Sarmatas insurrexerunt." En Ambrosius *τὴν συνοχὴν ἐθνῶν* Matth. v. 7. Mc. 8. Luc. 10 cll. 25 indicatam ad gentium illam ingentem migrationem et colluviem refert, quae ipsius aetate grassabatur. Jisque motibus nexum quendam internum et necessarium cum propagatione Evangelii inesse perspexisse videtur Ambrosius. Pergit enim p. 203: „Praedicetur evangelium ut seculum destruatur. Praecessit in orbem terrae evangelii praedicatio, cui jam et Gotthi et Armenii crediderunt." Similiter contra Hesychium jam apostolicâ aetate praedicationem evangelii in universo orbe terrarum factam et verba Christi v. 14 ante urbis sanctae excidium impleta opinantem (Ep. 198. 6. p. 965) Augustinus (Ep. 199, 46 sq. p. 987) haec disputat: Quod putat venerabilitas Tua, jam hoc (v. 14) per ipsos Apostolos factum, non ita esse certis documentis probavi. Sunt enim apud nos, hoc est in Africa, barbarae innumerabiles gentes, in quibus nondum esse praedicatum Evangelium ex iis, qui ducuntur inde captivi et Romanorum servitiis jam miscentur, quotidie nobis addiscere in promtu est. Pauci tamen anni sunt, ex quo quidam eorum rarissimi atque paucissimi, qui pacati Romanis finibus adhaerent, — Christiani esse coeperunt. Interiores autem, qui sub nullâ sunt potestate Romanâ, prorsus nec religione christianâ in suorum aliquibus retinentur, neque ullo modo recte dici potest, istos ad promissionem Dei non pertinere. 47. Non enim Romanos sed omnes gentes Dominus semini Abrahae mediâ quoque juratione promisit. — 48. Si ergo, quia prophetia veritatis mentiri non potest, necesse est, ut omnes gentes, quotquot fecit Deus, adorent eum: quomodo adorabunt eum, nisi invocent eum? Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt etc. (Rom. X, 14). In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut sit; non ut omnes, qui ibi fuerint, credant; omnes enim gentes promissae sunt, non omnes omnium gentium homines; non enim omnium est fides. Credit itaque omnis gens in iis, qui electi sunt, in ceteris non credit et credentes odit (v. 9).

continet, quae ad populum Judaicum minime spectant, e. g. Matth. XXIV, 7. Luc. v. 10—12 *ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος κ. τ. λ.*, v. 9; *ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν* — v. 14 *κηρυχθήσεται τὸ εὐαγγέλιον ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ*; v. 12. *ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν*. Quae omnia simul ita sunt comparata, ut ad unum certumque tempus non respiciant, sed multa ex iis multiplici modo repeti possint omnibus aetatibus, unâ vero post Christum aetate plane non possint fieri et Christus ipse post Hierosolyma diruta demum ea exspectasse videatur (cf. v. 4. 5. 11 cum vv. 23. 24 *τότε* i. e. post civitatis Judaicae calamitatem. Quare confitendum, *τὸ τέλος* v. 14 sensu absoluto sumi debere et jam de mundi consummatione agi. Atqui v. 15 sqq. de Judaeorum visitatione divina loquuntur, ulteriora vero v. 23 sqq. et ultima post v. 29 memorantur; ergo querela ista de subitâ et confusionis plenâ sermonis inconstantiâ non devicta videtur accersitâ parte priore (v. 4—14), sed stabilita.

Ast ne nos nova haec difficultas nimium terreat. Eam solvere tentantibus et partem illam priorem diligenter exarantibus forsitan non solum, quod primo quaerendum erit, nobis obtinget, nempe aptus commatis 14 cum vv. 15 ff. nexus, commoda totius partis prioris (vv 4—14) cum vv. 15 sqq. compositio: sed forsitan lux quoque aliqua reliquae capitis parti (v. 29—34) ejusque difficultatibus affundetur.

Ut vero caute, et quasi stratâ viâ incedat partis prioris (v. 3—14) explanatio, ordiri fas est ab iis, quae aliunde ex libris synopticis de rebus nostris nota sunt. Et quum exspectare debeamus, nec Christum hac oratione talia effatum esse, quae aliis ipsius verbis aut naturae regni quod proposuit contradicant, nec Synopticorum sibi quemque ipsum contradixisse, sed ita velle intelligi, ut nostrae sectionis effata consonent cum iis, quae passim alibi de rebus nostris tradunt, operae pretium futurum duximus, ante omnia inquirere, primum, quid Christus alibi de operis sui indole atque natura docuerit; quid deinde de via atque ratione, quam regnum Christi requirat, quid denique de successu ejus historico et finali passim edixerit. Quod scire eo gravioris momenti puto, quum et capitis nostri pars prior (v. 4—14) ita demum tanquam de speculâ altâ, nexum singulorum Christi

effatorum aperiente, perlustrari et intelligi possit, quasnam doctrinas discipulis notas et priori tempore propositas nonnisi leviter nostra sectione attingere Christus opus esse duxerit, spiritus sancti auxilio confisus, suo tempore ipsis non defuturo (Marc. XIII, 11. Luc. XXI, 14) eosque ea scientia instructuro, ut verborum ipsius sensum internum, ex tota religionis ipsius natura depromtum, perspicerent.

1.

A) Primum itaque de **regni Christi indole atque naturâ disserendum.** Problema per historiae decursum religioni christianae absolvendum tam longe lateque patet, ad omnes longe dissitas hominum gentes pertinens, profunda et sublimia amplectens, ut Christus non potuerit non scire, valde longum ac diuturnum opus ipsius in terra futurum. Ratio etiam atque via, quam hujus religionis natura postulat (v. infra B), ea est, ut pedetentim non uno saltu atque impetu, non per vim sed libere et quasi per suadelam („dulci enim amoris suadela trahit Deus") progredi debeat. Cujus naturae Christus satis sibi conscius erat; etenim, eam scire, idem erat ac suimet ipsius conscium esse. Quare Christus non poterat non scire, longam debere esse religionis christianae in terra nostra historiam et evolutionem. Dicet aliquis: quidni poterat exspectare, fore ut in futuram immortalemque vitam religionis nostrae evolutio cadat? Cur potissimum in nostrâ terrâ haec omnia eventura, esse scire debebat? Respondeo: cur in hac potissimum terra Christus incarnandus erat? Cur non solum mori debebat, sed etiam nasci et per omnes aetatis humanae gradus meare? Non satis habuit, homines defunctos visitare penetrando in hadem. Sed in terram nostram operis sui summam cadere voluit; partâ in nostrâ terrâ salute, perfunctus ibi laboribus et passionibus suis assecutus est potestatem illam universalem, quam pingit Paulus Phil. II, 9—11, et cum in ipsius personâ vere humanâ vita divina crescere, sese expandere et quamlibet aetatem humanam sanctificare dignata esset, certum sane debet esse, terram nostram non solum deversorium sed domum templumque Dei fieri, gratiae divinae decretum fuisse. Christus eo consilio venit, ut terrestrem vitam a peccato redemtam cum divinâ conjungeret, ut coelum descenderet in terram nostram, divinarum divitiarum testem atque theatrum

futuram. Quae omnia Christus bene perspecta habere debebat; si minus, operis sui naturam et propositum non habebat perspectum. Sed habebat sane; quod clare cernimus e. g. ex parabolis ejus. Finalis Christi adventus erit subitus, fulminis instar Luc. XVII, 24; sed regnum suum cum fermento contulit, quod massam totam subigere debeat Matth. XIII, 33. Qui credidit, margaritam quidem reperit, omnibus divitiis longe praeferendam; fides uno quasi manus motu bonum omnibus numeris absolutum arripit, animum salvans Matth. XIII, 44. 45. Sed hoc bonum non inerti situ debet corrumpis, sed foenora parere Domino (Luc. XIX, 11 sqq. Matth. XXV, 14 sqq.) et qui bonum illud accepit, non otiosâ futurae felicitatis exspectatione tempus potest transigere, sed vineae divinae in hac terra nostra sitae consulere laboribus et sudoribus (Matth. XX, 1 sqq.). Regnum Dei e semine minutissimo, i. e. sinapis exoritur (Matth. XIII, 21. 32) sed crescit eo usque, ut coeli aves, i. e. homines ab omnibus mundi partibus in eo convenientes requiem sub arboris ramis quaerant, longe lateque patulis. Etenim non ad paucos sed ad omnes hujus terrae gentes Evangelium pertinget (Matth. XIII, 33. 37. VIII, 11. 12. Luc. XIII, 29. Matth. XXI, 43). A Judaea quidem, materno religionis christianae gremio, ordiendum (Matth. X, 5. 6. 23 XV, 24) sed quum Christi religio omnibus numeris sit absoluta, pietatis et virtutis omnium hominum norma debet esse et regula interna. Etenim e perfecto quoque reliqua metienda. Quare penes hanc religionem ejusque auctorem judicium mundi (Matth. VII, 22. 23. XXV, 31 sqq.). Quam qui repudiaverit, ille bonum summum repudiasse censendus erit; reprobi enim nondum ii esse possunt, qui imperfecta reprobaverunt, sed qui perfecta (Matth. XII, 31. 32). Inde porro sequitur, nondum idoneos et quasi maturos esse ad judicium eos, qui Evangelii sono nondum sunt tacti: et ad omnes Evangelium idcirco quoque pervenire debere, quod omnes in judicium vocandi sint; aut in hac vita, aut in futurâ. Ceterum quum tanti pretii sit terrestris hominum conversatio, et tam magna religioni christianae proposita sint, in terra nostra per historiae decursum peragenda, non solum eo debet tendere religio christiana, ut in hac terra ad omnes gentes omnesque homines perveniat Evangelium, sed ita vim suam et efficaciam debet exserere, ut in cujusque

vitam terrestrem cadat terminus gratiae et finalis singulorum Evangelii aut amplectendi aut rejiciendi sententia.[12])

Quae cum ita sint, valde erroneum foret putare, Christum exspectare potuisse, uno veluti nutu regni Dei terrestre munus absolvi posse; immo eum non poterat latere, opus hoc admodum longum et diuturnum fore. Quod et ipse professus est: sapienti quidem cautione, ne vigilantiam relaxaret, ita aperte tamen, ut certe nobis experientiâ edoctis, et ad verba Christi intelligenda plenius instructis, prorsus non liceat dubitare, quin Christus diuturni operis et propositi sui longe patentis satis sibi conscius fuerit.

Quod multo magis elucebit, si.

B) viam ac rationem consideraveris, quâ Evangelium munere suo perfungi debere Christus docuerit. Regnum Christi religionem quidem affert absolutam et judicium cuique illaturam. Sed non cum externâ pompâ (Luc. XVII, 20), non modo violento (Luc. IX, 55) homines petit; natura ejus plane ethica est, non physica. Quod quum Christus et sciret et vellet, sciebat sane, id quoque, valde protractum religionis christianae opus in terra nostra futurum et patientiâ longâ indigens. Patet enim, si Christus nonnisi ita fecisse quidquam sibi videbatur, ut liberum animi assensum eliceret, opus ejus multo difficilius fuisse, per longiores mediantium causarum series et anfractus decurrens, quam si dictatorio et violento modo agendum. Quem modum recusans gloriae et majestatis divinae radios non minus exuit atque occulit quam manifestavit. Occulit ita incredulis et nondum credentibus, ut fidei locus esset, i. e. processui ethico (Joh. XX, 29), non solum visui i. e. processui physico. Manifestavit ita, ut sensui ethico nutrimentum daret, fidem alliceret, fiduciam plantaret, et ad occultam atque spiritualem regni sui majestatem adtraheret.

Per Judaeos illius temporis percrebuisse opinionem constat,

---

12) Veterem nostrae ecclesiae Theologiam terminum gratiae ad vitam terrestrem restrinxisse satis notum est, recentiores ab hac sententiâ levi pede recedunt. Sed videant, ne parvi pendere cogantur hanc nostram vitam, si statuere volunt, nil differe in re christiana, utrum serius an ocius, hic an illic fiat conversio. Mihi quidem Evangelium nondum munus suum terrestre in genere humano plane videtur obire, donec in terrestrem cujusque vitam cadat terminus gratiae.

Messiam, ubi venisset, statim rerum potiturum suosque aeterne beatificaturum. Lustrationem quandam et expiationem populi nonnulli antecessuram putabant regni Messiani (*αἰῶνος μέλλοντος*) tempora. Sed Messiam ipsum liberum fore putabant a passione: nec secus ejus asseclas. Apostolos quoque ab hac spe difficillime avulsos esse, cum Christus viveret, satis notum est. Sed quid ad hoc Christus viae suae et rationis divino modo satis conscius certusque? Summam operam in eo posuit, ut viae suae tardae quidem sed ethicae eos adsuefaceret. Ideo ita eos edocet, quanquam ipse sit Messias, quocum praesto sit regnum Dei, veniendum tamen sibi primum humili statu, gloriam vero mundo universo apparentem reliquendam diebus extremis. Tempus novum (Matth. IX, 16. XII, 7. 8. XI, 12. 13.) advenisse, cum *ὁ αἰὼν* qui exspectabatur (*ὁ αἰὼν μέλλων*) praesto sit (Matth. IV, 17. XVI, 28. Luc. XVII, 21. Matth. XXI, 44). Sed hunc non uno omnipotentiae nutu omnia sua absolvere, sed absoluto primo eoque longo tempore (Matth. XI, 13) nunc quoque duo spatia se offerre (Matth. XVI, 25. 26. cll. 27), in quae temporis novi unitas dispescatur.[13]) Opus dei internum esse debere, in intimis animae penetralibus primum plantandum; idcirco ignotum initio et ignobile visu, sed ita comparatum, ut massam veterem penetret, redintegret et regeneret. Quomodo vero haec omnia apostolos suos edocuit, et flagrans messianae majestatis desiderium ita sedavit, ut aequo animo ferrent dilationem istam novam? Mirum sane et magni ponderis esse videtur, quod nil nisi mortis suae mentio eos sanabat. In Jesu Christi morte Christiani vitam mundi vident positam; crucis signum antiquum mundum quasi e cardinibus revulsit, et cum praeceps rueret ad interitum, eum regeneravit. Mors Christi morientis amoris victoriam exhibet, et quasi tessera judicanda est

13) Atque ea inest similitudo statui intermedio cum praeterito tempore, quocum uno fluxu cohaeret, ut temporis instantis seu intermedii natura quanquam christiani propior esse videri possit anteacto spatio, quam futuro illi, quo tempus omnino non erit, sed aeternitas sanctitas et beatitudo illibata. Idcirco apud Paulum reperimus *τὸν αἰῶνα τοῦτον τῷ αἰῶνι μέλλοντι* simili modo oppositum, atque antea tempus Prophetarum opponebatur tempori Messiano. cf. Rom. XIII, 11—13. Sed cf. quoque 1 Thess. V, 4—10. Rom. VIII, 39. 1 Cor. III, 22.

religionis non physicae, non propheticae, sed ethicae atque praesentis. Mortis quoque ipsius annunciatio ad proponendum ethicae religionis characterem necessario pertinebat: regni sui naturam nec edisserere, nec probare poterat, nisi moriendum sibi aperte profitebatur. Jam vero hic nuncius gladii instar erat, quo male perplexa apostolorum imago de rebus novissimis concepta dirimebatur et veritati via struebatur. Cum Christum moriturum audissent, non coactum, non oppressum vi adversariorum, sed lubentem gnarumque futuri et aeterni dei consilii: jam messiani temporis unitas, hucusque ab iis fota, dissecatur in duo spatia: primum debebat Christus pati, deinde glorificari Luc. XVII, 24. 25. XXIV, 25. 26. Marc. X, 38. Et cum Christus non solum de sua persona haec diceret, sed Apostolos quoque sibi configurari debere, (Marc. X, 39) aperte doceret, (Matth. X, 24. 25. 38. 39. XVI, 24. 25. Marc. VIII, 34. Luc. VI, 40. IX, 23) et rursus Apostolos cum ipso imaginem futurarum aetatum fore (Marc. VIII, 34. 35. Luc. IX, 24—26. Matth. V, 10—12) ecclesiamque ipsam Christi signum laturam primum patientis in humilitate deinde ascendentis ad Patrem (Matth. V, 4—12. XVI, 18. cll. 23): satis docuit, suum regnique sui non esse, violento et repentino modo irruere, sed allicere liberos, persuasione firmâ plagarum necisque patiente eos imbuere, i. e. via lentâ incedere. Quibusnam vero armis suos instruxit? Spiritualibus sane praesertim (Matth. V, 14. 15. 18. Marc. IV, 14. Luc. VIII, 11. XII, 35. Eph. VI, 10—18) Verbo suo et spiritu sancto (Luc. XI, 13. XII, 11. 12. XXI, 12—19. Matth. X, 19. 20). Et sic quoque omnia ita erant comparata, ut divina evangelii majestas occuleretur, nemo cogeretur modo externo, sed libertati sua servarentur. Cui verbo judicium mundi spirituale mandari poterat: est enim et ipsum non physicum sed ethicum. Nam cum ii solum vere sint Christi amici, qui non adamant gloriam et dulcedines Evangelii utique fructus, sed Christum ipsum, Evangelii veritatem et salutem spiritualem: ethica hominum dignitas explorari et prodi non potest, nisi ita, ut sicut Christus ita Evangelium humiliter incedat, quanquam coelestium virium plenum. Quare nonnisi humili Evangelio i. e. in Verbi velamine proposito spiritualis κρίσεως munus mandari poterat: quae salutem antecedere debet. Et quum idem

Verbum veritatis et majestatis divinae tenue vestimentum unicum sit medium, quo Christus ad omnes gentes et homines pergat, donec omnes ad crisin sint adducti, ad discrimen aut vitae aut mortis: sic quoque elucet, quantum laboris, quot fidelium ore et testimonio indigeat Evangelium, ut, quâ est naturâ, sua perficiat; et qui hanc Evangelii naturam et indolem perspexit, ei sane certissimum erit, valde longo opere et itinere quasi per terram nostram Evangelium perfungi debere.

Quae omnia si satis consideraveris, tibi sane persuasum erit, non potuisse Christum nescire, religionis christianae evolutionem atque historiam non absolutum iri nonnullis annis. Multorum seculorum praeparationi evangelicae (Matth. XI, 13) multorumque seculorum peccato crescenti non respondere potest Evangelii brevis et minax apparitio, non perfusoria et perfunctoria praedicandi ejus ratio. Evangelii opus atque propositum longa et lata, profunda et alta petens, universum genus humanum complectens, necessario denique viâ lentâ et quasi per ambages incedens tempus longius requirebat, quo militandum esset, non triumphandum: eâque mente Christum summâ operâ et quantum fieri poterat suos imbuisse monstratum est. Illa omnia non solum Christus debebat cognita habere, ut personae suae et operis sibi esset conscius, sed discipulis quoque omnia aperire debebat, quae eos imbuere possent operis et personae suae indole ethicâ et avocare ab erroribus primam ipsius apparitionem parvi pendentes, ab ultimâ vero parusiâ rei summam et religionis perfectae verum initium exspectantes.

Ne quis objiciat, Apostolos verba Christi non ita intellexisse, cum ardenti desiderio parusiam ejus exspectarent, et aegre tulisse videantur necessitatem, magnificae Christi apparitionis a judicio de Judaeis ferendo separandae. — Etenim nonne Apostoli post mortem Christi eo adducti sunt, ut divinae cogitationi ethicae non physicae consentirent? Num Christus in terris vivus nil fecisse ipsis videbatur, aut solummodo quasi venisse, ut vaticinaretur et annunciaret se venturum? Minime vero. Baptizati spiritu sancto non ignorabant, sub humili velamine Evangelii per Messianae aetatis primum stadium, bonum omnibus numeris absolutum (Matth. IX, 2. 5. XX, 28) ipsis obtigisse. Non ita parvi pendebant pec-

catorum remissionem et novam ex divino semine generationem (Luc. VIII, 11. 15. Jac. I, 18. 25), ut anxie et suspense possent conversi esse ad Messiani temporis plenam i. e. externam quoque manifestationem, sed ore hilari mundo praedicant τὸν πλοῦτον τῆς Χάριτος, occultam amoris claritatem in passionibus perspicuam norunt, eâque ipsi fulgent et cum Christo pati non recusant, sed summae sibi gloriae ducunt. Quare (in quo multos errasse video) spes ipsorum, Christum brevi rediturum, non eodem loco habenda erit, quo Judaeorum superstitiosa opinio, passionem et Messiam patientem recusantium, magnificum et gloriosum summopere expetentium; sed cum boni absoluti jam compotes se factos scirent, animo erant aeque laturo, si serius Christus rediret; spes illa alias prorsus radices in ipsorum animis habuisse videtur, desiderium dico non tam mercedis et gloriae suae, sed amoris Jesu Christi, quem non videntes diligimus, videre autem talem, qualis est, ex animo avemus; nec non desiderium incrementi et perfectionis ecclesiae Christi. Quare nil vides impatientiae, aut doloris, cum Christum morantem viderent, sed moram aeque ferunt, longanimitatis divinae testem, tantae hominum multitudini salutis obtinendae facultatem praebentem. Ceterum cum tot illis locis supra allatis talia Christi effata ingenue afferant, quae spei ipsorum minime favebant, sed, uti clarius post tot interjecta secula nobis videre obtigit, adversabantur, id quoque non parvum mihi videtur testimonium non solum candoris et ingenui animi ipsorum, sed etiam verae Christi cognitionis.

C) Superest, ut ea quoque perlustremus, quae Christus de Evangelii decursu et successu historico patefecerat ante eschatologicam nostri capitis orationem.

Evangelium debet secernere et dirimere, quae male conjuncta sunt, est ensis instar in terram dejecti, discordiarum fons et caussa (Matth. X, 34. 35). Ea enim conditio est generis humani, ut bellum debeat anteire pacem illam, in angelorum salutatione cum Christi nativitate nobis promissam. Evangelium primum bellax est atque militans. Nec solum interne longo et perenni judicio secernit a falsis vera, a peccato indolem divinitatis capacem (Hebr. IV, 12), sed crisis illa externa quoque erit et cruenta (Matth. X, 16—18. 25. 28. 35. 36). Odio erit reli-

quis gens christiana. — Sed positive quoque simili modo Evangelium procedet; primum corda singulorum transformabit (Luc. VIII, 15); deinde faciem totius mundi commutabit, cui tanquam fermentum est inditum (Matth. IX, 16. 17. parall. VIII, 11. XI, 11. cll. 19. 25—30. X, 26. 27). Ignis accensus est in terra, nemo extinguet eum, ubi urere coepit (Matth. XV, 18). Et quanquam interna evangelii majestate et divina victoriae suae certitudine illud potissimum dignum est, ut non turbulento modo, non clamando et praecipitando formas veteres frangat, tamen Christus certissime sciebat, novum vinum ab ipso allatum novos uteres suo tempore habiturum, nec sese venisse, ut vetusto vestimento nova adjiceret assumenta (Luc. V, 36—39 parall.), sed genus nostrum tanquam hominem denuo natum fore, et omnino singulorum et gentium vitam novâ plane formâ indutum iri. Quae omnia ab Evangelio effici et praescivit Christus et voluit, eo tamen ordine, ut primum inter Judaeos sedem reperiret, deinde ad Paganos transiret, denique ad Judaeos reverteretur, eandemque regulam sapientissimam tenuere cum apostoli omnes, tum prae reliquis Paulus. Quae omnia accuratius contemplemur.

Evangelium perveniet non ad Judaeos solum, sed in orbem universum (Matth. XIII, 38) ὁ δὲ ἀγρός ἐστιν ὁ κόσμος. VIII, 11. 12: Dico vobis multi ab occidente et oriente venient, et cum Abrahamo et Isaaco et Jacobo sedebunt in regno coelorum, filii vero regni ejicientur in tenebras exteras, ubi ululatus erit dentiumque stridor (cf. Luc. XIII, 29). Eodem pertinet Matth. XI, 27. potestas mihi data est in coelis et terrâ (XXI, 43. cf. Matth. XXVIII, 19. Mc. XVI, 15. 16.)

Sed primum voluit Judaeis evangelium praedicari; suumque judicavit, per terrestrem vitam nonnisi perditas ex Israële oves quaerere, et pauci illi, quibus salutaris cum Christo nexus obtigit, hanc normam non tollunt, sed stabiliunt. Magi enim (Matth. II.) centurio (Matth. VIII, 10) mulier Chananaea (Matth. XV, 21. 28) et Samaritanus ille, cujus lepram sanatam refert Luc. XVII, 15, antevertunt Christo ipso judice fidei non popularium solum sed etiam Israëlitarum; nec admittebantur, quia pagani erant, sed quanquam ad Israëlem non pertinebant. Idem cernimus ex Matth. X, 5: ne eatis in paganorum vias et Samaritanorum urbes. cf. Luc. XIII, 16.

XIX, 9 sqq. Cujus rei causa videtur esse longa hujus populi praeparatio divina, quippe qui manu quasi ductus esset ad Messiam. Israëlitae veri et candidi vetere Dei revelatione ita erant exerciti, ut a multis erroribus et peccatis facile immunes esse possent, quibus credentium ex Ethnicis fides affectabatur. Deinde Christiana religio nititur facto divino: et ut facti hujus testis universus populus fieret, nempe Judaeorum et credentium et infidelium, sedes prima in hac gente debebat esse, et Evangelium potestatem et judicii et salutis primo in eâ necesse erat exserere; ibidem dico ubi Christi historiae fuerat quasi templum ac domicilium. Sed ab aliâ parte, qui multa jam accepit, facile potest aut efferri animo, aut desidiae se dare; et ipsa indoles populi Israëlitici singularis, qua instructus mirum in modum grande munus historicum ipsi mandatum obire valebat, tenacitas nempe et vetustatis amor, sensusque auctoritati historicae plane dicatus, per peccatum genus humanum permeans facillime eo poterat detorqueri, ut aegerrime ferrent, avelli a consuetis opinionibus et consuetâ vitae ratione. Quare profecto confitendum erit, hunc populum plane singularem et mirum ita fuisse dispositum, ut et incunabula Ecclesiae christianae praebere deberet, virosque fide et virtute, sanctitate et cognitione longe excellentissimos initio regno dei suppeditaret, et ab altera parte hostes acerrimi et longe infestissimi rei christianae ex hac gente non possent non prodire.

Quare Christus ex hac gente natus ex hac gente omnes apostolos sibi collegit, in hac gente ejusque metropoli Hierosolymitanâ sedem primam ecclesiae figi voluit Luc. XXIV, 49. Neque vero fugit Christum, longe majorem hujus populi partem fidem recusaturam. „Nullius pretii propheta habetur in patriâ suâ.“ (Luc. IV, 24—28. Matth. XIII, 57. Mc. VI, 4. Joh. IV, 44). Haec sententia sub initium curriculi ab ipso pronunciata eventu probata est. — Sed Christus detrimentum non Evangelio, sed ipsis inde exorturum sâtis videbat. Paratos enim videbat alios, qui grato animo excepturi essent id quod ab Israëlitis esset detrectatum. Satis mature hoc Christus indicat, e. g. Luc. IV, 24—28. Populum Judaeorum tam ingrato esse animo, ut exteri sint anteferendi. Luc. XVII, 15. cf. Matth. VIII, 11. Qui naturâ quasi haeredes regni divini designati esse videbantur (υἱοὶ τῆς βασιλείας,

τέκνα Matth. XV, 26, οἱ πολῖται αὐτοῦ Luc. XIX, 14 cll. 27) excludentur, et ab Oriente atque Occidente, a Meridie et Septentrione multitudo hominum invitabitur venietque ad divinum convivium Luc. XIII, 29. Verum excludentur isti non vi sed ita, ut poenas luant pervicaciae animique impii prophetarum sanguinem sitientis Luc. XI, 49. 50. 51. Matth. XXI, 43. Homines filium necabunt, sed instat judicium, gradu celeri appropinquat: hoc ipsum hominum aevum poenam luet v. 50. 51. Matth. XXIII, 36. 35: ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πᾶν αἷμα δίκαιον etc. Mora quaedam ipsis divina gratiâ concessa erit. Etenim Luc. XIX, 12 sqq. legimus, virum nobilem (i. e. Christum cf. v. 26. 27) quum cives ipsius i. e. (Judaei) imperium detrectassent (v. 14) abiisse in locum valde remotum, ibique regnum accepisse, i. e. mortuum esse et moriendo ad divinam gloriam exaltatum. Priusquam decederet, reliquisse servis suis minas seu talenta, quae absente ipso deberent foenerari. Posthac rediit v. 15, visitavit amicos et excussit cujusque merita, hostes vero illos, qui noluerant ipsum regnum habere, poenâ gravissimâ affici jussit (v. 27). Qui insignis locus praeterea docet, Christum judicium de Judaeis ferendum suo muneri et operi accensuisse; Hierosolymorum devastatio ipsius nutu, praesente quasi Christo peragitur. Hoc loco clarissime adventus seu reditus Christi statuitur ad judicium Judaeis infligendum. Similiter se habet Matth. X, 23. Hic quoque jubet discipulos non statim plane discedere ab oppidis Israëliticis (cf. X, 5. 6), sed quanquam persecutiones ingruant, satis habere, ut fugiant ex alio Israëlis oppido in aliud. Vitam quidem suam ne imprudénter tradant persecutoribus; sed ne fugiant plane ex Judaea. Sic enim mora huic genti concessa erat cf. Luc. XIII, 6—9, et tempus obtinendae gratiae destinatum non frustra elapsum esse constat. Sed reliqua quoque verba Matth. X, 23 simillima sunt loco supra citato. Ita enim pergit: amen, dico vobis, non absolvetis (sc. evangelizando) urbes Israëlis, donec veniat filius hominis. Hanc parusiam non quadrāre ad Pentecostes festum, patet: hujus festi tempore in urbes Palaestinae plane non exierant, nec persecutiones fugasque experti erant (Matth. X, v. 23); nam Christi ipsius jussu tranquille sedere debebant Hierosolymis post Domini ascensionem, donec induerentur virtute divinâ ab alto descendente Luc. XXIV,

49. Multo minus Christus extremam parusiam hoc loco innuit; nam eos adventus ipsius tempore in Judaea sedem primariam habituros hoc versu indicat: et adventum suum proxime instantem hoc loco eo fine refert, ut eos consoletur et confirmet in persecutionibus a Judaeorum gente imminentibus. Eodem denique pertinet Joh. II, 19 ff. cll. Matth. XXVI, 61. Mc. XIV, 58. Nam hic quoque se templi devastationis causam fore indicat: id quod et ipsum praesentiam Christi post mortem suam, seu reditum Christi ad judicium de Judaeis ferendum involvit. Atque testes illi quanquam mentiebantur, veri quid dicebant. cf. Act. VI, 13. 14. Falsa proferebant, minime enim Christus cum civis esset Judaicae rei publicae, templum diruere volebat; vera nihilosecius, etenim indicarat in parabola Matth. XXII, 6. apostolos suos spretum iri et necatum: regem autem regni coelestis iratum exercitus suos missurum, interfectores illos peremturum et urbem eorum combusturum, v. 7. Idem innuisse videtur historiâ illâ parabolae vice fungente Matth. XXI, 17. 18. 19. Praesertim vero huc pertinet parabola de servis asperrime tractatis ab operariis in vinea et de filio ab ipsis trucidato XXI, 33—46. Servos prophetas esse patet, quos alibi a Sapientia missos docet (Luc. XI, 49). Filius est filius Dei et hominis. Operarii qui filium trucidant Judaei infideles sunt (v. 45). His annunciat v. 43: *διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ καὶ δοθήσεται ἔθνει, ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς*, et v. 44 terribilem poenam indicat, quam ipse *λίθος προσκόμματος* et *ἀκρογωνιαῖος* (v. 42) exsecuturus sit ita, ut ipsi semet ipsos puniant et in conterens exitium irruant. Quod Matth. XXI, 43. 44. minatur Judaeis, id intimâ misericordiâ commotus dolet Luc. XIX, 41—44. Idem cum appropinquaret intuitus urbem, flevit de ea, dicens: O si tu quoque scires, saltem hac ipsâ die tuâ, quae ad salutem tuam facerent! Nunc vero occulta sunt oculis tuis. Opprimient enim te dies, ubi hostes tui circumdabunt te mole et cingent angentque undequaque, et te cum liberis tuis humi prosternent, nec relinquent in te lapidem super lapidem, propterea quod non animadvertisti tempus, quo gratia tibi praesto erat. Denique dixit Matth. XXIII, 37. Luc. XIII, 34: O Hierosolyma, Hierosolyma necans prophetas, lapidans ad te missos, quoties filios tuos volui ad me congre-

gare. Ecce aedes vestra vobis relinquetur; i. e. Deus, qui per me inter vos fuit gratiam suam revelans, jam recedet a vobis: vos qui nil estis, nisi estis Dei populus, sine Dei clementi praesentia eritis. Et Matthaeus addit: „Domus vestra deserta vobis relinquetur (quod Luc. habet c. XIX, 44). Dico enim vobis, exinde me non amplius videbitis.“ Haec verba a Christo dicta esse non eo loco, quo Lucas vult, sed quo Matthaeus, verba ipsa indicant; tunc enim dicta sunt, cum ultimâ vice Christus discederet e templo nunquam eo rediturus, nisi ad judicandum. Quo magis memorandum, verba illa funesta et acerba non finem fuisse orationis ultimae in templo habitae. Ultimo suo verbo non voluit vaticinari perniciem Judaeorum sempiternam, sed poenam ita annunciat, ut salutis futurae spem relinquat. Ita enim concludit Luc. 35. Matth. 39: affirmo vobis, vos non prius me revisuros, quam tempus venerit, quo dicatis: Benedictus sit (Messias) qui venit nomine Domini! Locorum horum seriem nobis intuentibus satis elucet, clarissime Christo hunc regni sui eventum atque decursum obversatum fuisse: primo tempore Christiani ex Judaeis sedem ecclesiae primam obtinebunt; deinceps cessabit Judaeorum conversio, mora eis concessa finietur, Judaica gens caede et clade terribili scelerum poenâ visitabitur; et Hegemonia in religionis historia hucusque obtentâ exuetur; quae Hegemonia regni Dei ad Paganos devolvetur; qui suo tempore fructus regno divino dignos ferrent (Matth. XXI, 43). Evangelii semen per orbem spargetur (Matth. XIII, 38) et ad singulos quosque homines in terrâ viventes perveniet, ut crisis suprema, aut vitae aut mortis, de quâ supra vidimus, locum habeat, sine quâ judicio extremo nullus posset locus esse. Regnum Dei ita arbori quasi simile erit, cf. Matth. XIII, 31. 32, totum orbem terrarum obumbranti, i. e. omnibus hominibus umbram praebenti: et fermento Matth. XIII, 33 massam totam fermentanti (cf. Mc. XVI, 16. Matth. XXVIII, 19. 20). Ita Evangelium spretum ab ovibus perditis Israëlis (Matth. XV, 24) ex alio ovili gregem suum colligit (cf. Joan. X, 16) voci Christi obtemperantem (cf. Joan. X, 16). Sed sicuti apud Joannem annunciat v. 16: γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν, ita apud Matthaeum quoque (XXIII, 39) non omnem salutis spem genti judaicae primum quidem excludendae praecludit: sed post duo temporis messiani

spatia, quorum primum Judaismi et judaicae civitatis strage non conversione terminatur, secundum autem Ethnicismi interitu et Ethnicorum conversione, facultas rursus dabitur genti Judaeorum, Christi antea spreti cum salutatione messianâ suscipiendi stragisque conversione terminandae. Templum desertum ipsis relinquetur toto illo tempore, quo fidem recusant et quo regnum Dei apud Ethnicas genes florebit (Matth. XXI, 43). Et tunc demum divinae praesentiae, cujus symbolum et promissio perpetua templum fuerat, laetitia redibit, ubi Christum agnoverint tanquam eum, in cujus persona Deus sit nobiscum (ἕως ἂν εἴπητε, εὐλογημένος κ. τ. λ.).

Quae hucusque vidimus Christum praedicasse de regni Dei indole atque naturâ, de ipsius promovendi ratione atque viâ, denique decursu ejus historico, non deprompta sunt ex capite Matth. XXIV, sed lumen quoddam ei allatura speramus. Jam enim Christi sententiam de rebus eschatologicis aliâs pronunciatam cognovimus, cui nostro capite Christus non contradicet, immo consentiet; nostri autem capitis amplioris quasi nexus loco collocati sensus clarius elucere poterit, et quae Capite nostro nonnisi unâ lineâ signata sunt, ea jam in certos plenae imaginis fines redigi poterunt.

2.

A) v. 3—14.

A) Ea omnia, quae nunc vidimus animis Apostolorum penitus infixa fuisse, cum Christum adirent (Matth. XXIV, 3), negandum censemus. Vetuerat eos (Luc. XIX, 11) exspectare, ὅτι παραχρῆμα μέλλει ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἀναφαίνεσθαι; docuerat idem praesertim per mortis suae iteratam annunciationem. Vident, messianae gloriae spem procrastinandam. Sed cum Christus non solum dixisset, sibi moriendum, sed Hierosolyma quoque exstinctum iri, (v. locos supra allatos et Matth. XXIV, 2. Parall.) ad spem quasi redivivam erigunt animos. Multa saepe dixerat de passione sua, de persecutione ipsis quoque imminente, de σταυρῷ ipsis quoque ferendo (e. g. Matth. X, 37 sqq. XVI, 24. Parall. Luc. XIV, 27) parum sine dubio ipsis arridentia; jam de Judaeorum prostratione nomini Christiano infestorum loquitur. En, non lugent, sed cum meminissent, Christum ita locutum, ut suum suique judicii opus Hierosolymorum excidium esset existimandum, spes recens succrescit,

cum hoc judicio saltem conjunctam fore τὴν παρουσίαν ipsius κ. ἑ., i. e. finalem, ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος eventuram. Quare Apostolorum ii, qui quasi interioris admissionis erant et attentissime verbis ejus inhaeserant, Petrus, Jacobus, Joannes, Andreas eum compellant Matth. XXIV, 3. Mc. XIII, 3. 4. seorsim: Et ita quaerunt, primum: quando fiet, ut templum hoc devastetur? deinde scire cupiunt, nonne nexus sit intimus tremendi hujus judicii cum judicio extremo, quod omnes sciebant cum parusia messiae et fine mundi conjunctum fore. Quare secundo loco quaerunt: quaenam erunt signa parusiae tuae et finis mundi? scilicet ut comperiant, num Hierosolymorum interitus pro signo parusiae instantis habendus sit Matth. XXIV, 3. Verisimile est, si non omnes, tamen nonnullos spem certam fovisse, fore, ut cum Hierosolymorum occasu illo tempore gloriae messianae ortus conjunctus sit.[13]) Ita sperant, si Christus ad primam quaestionem respondens, certum tempus significasset, deinde confessus esset, Hierosolymorum interitum parusiae suae et extremi quasi judicii tubam futuram, sese comperturos etiam certum gloriae messianae tempus. Quod cum Christus ipsis aperire et nollet et nequiret (Matth. XXIV, 36. 39. 42. 44), non viâ quaestionibus illis delineatâ incedere potuit. Etenim anni, quo Hierosolyma essent diruenda, si sciebat, certam significationem dare non poterat, quippe non rei christianae, sed curiositati puerili profuturam. Sed ad primam quaestionem nonnisi ea respondere debebat, quae suis erant profutura, si calamitas illa ingruisset: signa dico, quorum adventu edocti scire possent, jam urbis interitum instare, jam fugiendum, et a Judaeorum civitate et vitae communione recedendum, a spe vero, Judaeorum etiamtunc multos ingressuros in regnum Christi, abstinendum. Quod fecit profecto paulopost, praesertim v. 15—22. — Ad secundam vero quaestionem nec respondere poterat, parusiam suam cum fatali illo populi Judaici die fore conjunctam; hoc enim falsum fuisset, et a Christo alienum; nec poterat plane aperte, si sciebat, multis demum post seculis se rediturum, hoc profiteri; nam sic vigilantiam et fervorem multorum forsan hebetasset et succidisset; nec denique responsionem

13) Marc. XIII, 4. Luc. XXI, 7 hoc clare mihi docere videntur, quaestionem discipulorum suo modo referentes. cf. Chrys. l. c. 815.

plane recusare poterat, dicendo, neminem praeter Deum cognitum habere tempus judicii. Nam quanquam ingenue fateatur, ne hominis quidem filium gaudere scientiâ immediate chronologicâ i. e. annorum seu diei et horae, negari tamen nequit, causalem rerum ordinem, regni sui indolem et naturam, opus in terra obeundum, viam et rationem denique hujus operis, ei ita nota fuisse, ut errori discipulorum non obnoxius esset, paucis annis ipsum rediturum sperantium. Immo certissime non poterat non scire, non paucis lustris historicum Evangelii opus absolutum iri sed tempore longiori indigere (v. s. p. 33 sq.). Discipulis vero aliquid ex eo, quod ipsum scivisse certum est, dicere debebat: nam satis notum habebat eos in praesenti errore versari. Itaque eâ viâ incedere debebat, ut et errorem eorum sanaret et vigilantiae ipsorum consuleret. Confitebatur quidem, post Hierosolyma diruta demum parusiam suam exspectandam, sed annum quo Hierosolyma sint diruenda, non aperuit, quanquam prope eum abesse, indicabat. Sed eo magis, recusatâ eschatalogiâ chronologicâ, principia edisserit, ad quorum normam haec omnia sunt dijudicanda, et quae aeque errori eorum praesenti sanando, ac vigilantiae christianae commendandae futura erant idonea.

Quae principia primâ capitis parte delineat vv. 4—14. Frustra enim hac parte quaeres tenorem chronologicum; non hic aut ille eventus certo quodam anno implendus nominatur; sed quae memorantur, ea aut identidem aut semper et ubique, quae est evangelii indoles generisque humani corruptio, evenire possunt. Idea Messiae in Christo realis, ita necessaria est, et generi humano infixa, ut qui verum non reperiunt messiam, factitio sese dedant; eoque majus hoc periculum, cum humilis Christi apparitio vere ita comparata sit, ut dicere fas sit, Messiae adventum in Christo factum nondum plane absolutum. Profecto videmus, quamvis aetatem suum sibi sumere aut invenire Messiam, sive personalem sive idealem, et agnoscendum, Christum justâ de causâ Pseudochristorum notasse pericula. Sed cur primum omnium hoc nominat v. 4. 5.? Iccirco, sentio, quia festina et praepropera plenae Christi manifestationis exspectatio, mens passionum, certaminis et militiae impatiens imprimis servit multifariorum Pseudomessiarum praestigiis. Et cum hujus desiderii pleni essent apostoli, primum eos retrahit a spe messianam parusiam false acce-

lerante. Revera id potissimum tenendum est, Christum ad impatientes discipulorum quaestiones respondentem inde a v. 4 usque ad v. 12 omnino non versari in commendandâ exspectatione Christi; ne uno quidem verbo hic indicat, semper vigilandum, quovis tempore Messiam exspectandum (quod suo jure potuit) sed totus in eo est, ut praeproperam discipulorum spem reprimat.[14]) Post pseudochristorum mentionem v. 5 procedit ad alia cum Evangelii historiâ connexa, aut Evangelii vigore, quâ peccati labe affectum est genus humanum, excitanda. Bella erunt, bellorumque famae et incertus rerum publicarum ordo Luc. XXI, 9. Matth. v. 6. Mc. v. 7. Gens contra gentem, regnum contra regnum suscitabitur, i. e. evangelium gladii instar dissecabit male conjuncta, ut vere jungat (v. p. 38.): naturae autem phaenomena concomitantia quasi depingent motus et turbines in spiritualibus orbibus orturos (Luc. v. 11). Sed semper eadem recurrit admonitio; errore implicaremini, si hos eventus, qui necessario Evangelii introitum sequuntur (Matth. v. 6. *δεῖ γάρ πάντα γενέσθαι*) parusiae finisque mundi instantis signum duceretis (v. 6. *ἀλλ' οὔπω ἐστι τὸ τέλος*. Mc. v. 7. Luc. v. 9 *ἀλλ' οὐκ εὐθέως τὸ τέλος*), et rursus v. 8 haec omnia solummodo initia rerum novarum, *ὠδῖνες* mundi novi pariendi nuncupantur. Et Lucas plane ex naturâ evangelii, adjicit, priusquam haec omnia eveniant, quae nequaquam *τὸ τέλος* sint, aut finis prope instantis signa, Christianos persecutionem et Judaeorum (*συναγωγῶν* v. 12 Mc. v. 9) et Ethnicorum (*ἐπὶ ἡγεμόνων καὶ βασιλέων σταθήσεσθε* Mc. v. 9. Luc. v. 12) subituros, odium generis humani Matth. 9. Mc. v. 13. Luc. v. 17 ob nomen Christi futuros. Itaque prima Christianorum tempora ea futura, ut externe quoque Christi ad imaginem conformari debeant; patiendo, moriendo victoriam quaerere non illico palmam arripiendo. Post haec (Luc. v. 12) demum singulorum supplicia Evangelii efficacia pertinget ad universos populos, grandesque motus, acerba certamina illa ciebit, quibuscum et ipsa rerum natura quasi concordabit et conspirabit. Sic cernimus hic quoque legem illam Evangelii doceri, quâ pedetentim progreditur, a parvis (Marc. v. 12) ad magna (v. 7. 8). Et ne illud quidem praetereundum censemus, quod Matthaeus v. 9 dicit: eritis odio om-

---

14) Quod itidem fieri vides v. 23 sqq. post Hierosolymorum eversionem (v. 22).

nibus gentibus; quo involvitur, Evangelium ad omnes gentes allatum iri, et ubique prius odium commoturum quam fructus laturum sit (Matth. XXI, 43), quod multi aegre ferentes desciscent v. 10. Et cum haec omnia (persecutiones et praedicationem Evangelii longe lateque absolvendam) Lucas ponat ante bella ista et tumultus (cf. v. 12. et 10. 11): Matth. autem v. 9—11 persecutiones illas et Christianorum in toto orbe praesentiam eo tempore collocet, (τότε v. 9) quod vocat οὐ τὸ τέλος v. 6, sed ἀρχὴν τῶν ὠδίνων v. 8, certum est, Christum nostro quoque capite longum opus Evangelio adsignare, per historiae decursum certâ lege (in qua describenda hic versatur) absolvendum. Idem efficitur ex Matth. v. 11. 12. 14. Nam v. 11. 12. loquitur de doctrinae morumque depravatione inter ipsos christianos obviâ, immo majorem eorum partem (τῶν πολλῶν v. 12) invasurâ. Quod non ita quadrare videtur in prima Evangelii tempora, et fidei et persecutionum plena: sed in ea, ubi Ecclesia tanquam fermentum generi humano immissa et naturam ejus depravatam quasi assumens, ab hac ipsâ depravationem quandam patitur, eoque majorem, quo magis religio christiana ea est, ut singula quaeque mundana arripiat. Quorum intellectum Evangelii lux tetigit quidem, sed non penetravit, ii ad errores pariendos promti erunt, et si magistrorum vice fungi volunt, pseudoprophetae evadent v. 11. Quorum fides non sincera est, iis injustitiae diuturnum in terra imperium scandalo esse potest, aut seducere eos possunt seculi hujus mores, aut securitatem et negligentiam excitare, postquam fefellit spes aureae aetatis Evangelii impatiens. Omnia ergo, quae de evangelii efficaciâ dixerat, Matth. v. 4—12 eo tendunt, ut discipulos avocent a desiderio messianae gloriae praepropero; et Christus quasi ita loquitur: ne animo volvatis cogitationem, proxime abesse tempus plenae regni mei gloriae, ne animi vestri cupiditate effoeminentur. Patiendum et laborandum; hoc ante omnia animis vestris obversetur; afflictionibus laboribusque testes erunt Christi insignes, ut Evangelium munere suo historico perfungi possit. Quare quisque videat, quomodo perseverantiâ gaudeat usque ad finem firmâ, patiendo et laborando ostendendâ, nec vero gloriae messianae festinâ cupiditate inhiet. Ita v. 13. 14 Christus omnia, inde a v. 4—12 indicata colligit. V. 13 sanam hominis Christiani disposi-

tionem spiritualem ad eschatologiam pertinentem indicat: v. 14 non minus clare opus evangelii historicum; v. 14 enim memorabile illud axioma pronunciat: καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι; καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος (Marc. v. 10.) finem operis Evangelii clarissime proponens. Τὸ τέλος κατ' ἐξ. i. e. finis mundi (v. supra) cum parusia Christi futurus omnino non potest ingruere, priusquam in universo orbe terrarum evangelium praedicatum fuerit. De cujus axiomatis necessitate supra disseruimus. Itaque hic versus et negative indicat: nolite parusiam meam exspectare, priusquam Evangelium ubique terrarum munus suum obiit (Marc. καὶ εἰς πάντα τὰ ἔθνη δεῖ πρῶτον κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον); et positive, quum evangelium regni mei in toto orbe omnibus gentibus propositum fuerit ita, ut crisin aut vitae aut moris adducat, (εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι) tum veniet finis — καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος.

Videmus autem, claram hanc doctrinam non esse chronologicam, sed praesertim admonitricem; ac si dixisset: hoc est opus, Evangelio pro indole sua et natura judiciali et gratiae plenâ persolvendum, cujus operis vos Christiani debetis organa esse. Ergo nolite otiosae vos dare spei, sed labori et patientiae. — Nihilosecius facile est intellectu, hoc axiomate ex interiore evangelii natura depromto de tempore quoque parusiae nonnihil statui: scilicet non statim eam exspectandam, cui plane consonat illud, quod Christus in sectione nostra toties in eo est, ut procrastinet exspectationem parusiae, ne unâ quidem voculâ fulciat spem brevi ipsum rediturum. Procrastinat docendo, quod saepe alibi eum docuisse supra vidimus, Evangelii naturam eam esse, ut secernat, dirimat odium, bellum moveat, peccati regnum fulmine suo excitet et percellat, spiritualis judicis munere fungatur et ad crisin omnia (cf. Lutheri opp. X, 1602. XVIII, 2103.) perducat (Matth. v. 6. 7. 10. Mc. XIII, 13. Luc. v. 12. 16. 17); quae omnia cum a minutis incipientia longe lateque patere debeant, nonnisi progressu lento evenire possunt. Sicuti vero supra vidimus, Evangelium, ut et judicium internum exercere, et externum praeparare possit, humili habitu manere debere, ita nostro quoque loco docet (Lc. 12—18. Mc. 9—11), Christianorum decus esse non triumphare, sed militare atque pati. Et ita quoque spem parusiae prope

instantis relegat ad tempora remotiora, et aliam plane ecclesiae formam antecessuram docet extremum triumphum. Denique religio christiana non solum judicium absolvit et confessoribus mala affert (Matth. v. 9.), sed est Evangelium quoque i. e. laetus nuncius (v. 14.), qui non frustra praedicatur. (Matth. XIII, 23.) Christus quanquam adhuc ex parte occultus in apparitione primâ, tantum quidem attulit, ut, qui ipsum spreverit, veritatis absolutae adversarius esse convincatur, et ut quilibet possit judicari secundum normam fidei aut praestitae aut negatae. Sed ut quisque judicari possit, Evangelium ad orbem universum pertinere debet: omnesque collustrare, ut omnibus salutis adipiscendae facultas suppeditetur. Itaque hoc effato (Matth. v. 14.) evangelii longum per historiam decursum longumque opus satis clare indicavit.

Quae cum ita sint, patet, v. 4—14 id continere, quod supra nominavimus indolem evangelii et naturam, deinde viam et rationem, qua debeat uti; principia quasi hic proposita sunt, ad quae reliqua omnia regantur, quae inde a v. 15—22, et post appendicem v. 23—28, inde a v. 29 jam prophetice, non doctrinae modo nomine exponuntur. Non dixerat v. 4—14, quo quidque anno aut tempore eventurum sit, sed quisnam debeat esse Evangelii effectus et labor, et quonam modo ei sit incedendum. Fateor, quum sic internum et causalem rerum nexum, ex Evangelii indole hominumque pravitate aestimandum, proponeret, eum non potuisse non de mundi quoque fine si non absolute tamen relative nonnulla aperire, quae vertuntur in hoc: δεῖ πρῶτον κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον εἰς πάντα τὰ ἔθνη — καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος (Mc. 10. Matth. 14). Antea vero multa fore patienda ecclesiae; errorum, peccati et afflictionum laboribus eam esse exercendam, gentes vero evangelii luce excitandas et quasi fermentandas. Sed ea omnia generaliter et quasi anonyme, docendi magis et admonendi quam vaticinandi causa proposita esse apparet.

Jam vero aliâ plane ratione incedit Christus post v. 14 ex unanimi Evangelistarum consensu. Nemo jam dubitat, inde a versu 15 Christum non amplius quasi anonyme loqui de iis, quae passim in historia Evangelii contingere et possint et debeant, sed nominatim de Judaeis et Hierosolymorum excidio. Quare jam non absonum mirumve esse potest, quod Christus Matth. XXIV,

14 de fine mundi loquitur, v. 15 de Hierosolymis, postea de reditu suo et fine mundi, sed jam intelligimus, necessario ita Christi orationem progredi debuisse, quippe quae primum principia exponat eschatologiam regentia, deinde (cf. οὖν v. 14, i. e. itaque) descendat ad applicationem eorum historicam seu propheticam. „Quare post τὸ τέλος pars secunda initium capit a judicio de Judaeis ferendo.

B) v. 15—28.

B) Non opus est, ut moremur in versibus 15—28. Supra enim de his disputatum (p. 16 sqq.) Recurrit Christus ad ea, quae Matth. XXIV, 2 parall. de devastatione Hierosolymis imminenti docuerat et vidimus supra, eum alibi quoque similia docuisse. Quem vero supra tertio loco posuimus, decursum dico Christianae religionis historicum aperte inde a versu 15 delineare incipit. Quod quum ita fieri deberet, ut normae eschatologicae inde a v. 4—14 propositae on oblivioni tradendae aut violandae sed stabiliendae essent, certum esse debet, ecclesiae historiam a Christo non intra fines gentis Judaicae constringi potuisse, sed Ethnicos quoque gentes respicere debuisse. Tot locis, quos supra perlustravimus, dixerat Christus, ad paganos quoque regnum Dei perventurum, Evangelium fermenti instar in ipsis efficax fore, ecclesiae arborem inter ipsos grandem futuram, ipsosque fructus laturos tempore opportuno. Et hoc ipso capite XXIV pluries paganorum mentio facta erat (apud Matth. v. 7. 9., coll. Mc. 8, 9, 13. Lc. 10. 12.), adeoque gentes omnes in classico illo loco v. 14 Mc. 10. nominatae sunt. Quare quis sibi persuadebit, Christum a dogmatica quasi eschatologiae parte (v. 4—14) ad historicam et propheticam progredientem oblivisci potuisse paganorum, aut hac orationis parte eos excludere a regno divino? Exclusisset vero paene omnes, si cum Hierosolymorum judicio finem mundi chronologice conjunxisset, et plane contraria esset prophetica orationis ejus pars dogmaticae, si illa quasi diceret, Hierosolymis dirutis historiam hujus mundi absolutam fore.[15])

15) Post Hierosolyma diruta aeonem intermedium exspectari debere, veterum longe plurimi viderunt. Quod alii ita assequi student, ut omnia inde a v. 15 posita jam ad Antichristum referant (v. not. 2.) aut ad appropinquantis Antichristi operationes, ut Ambrosius, qui errores ecclesiam ve-

C) v. 29—36.

C) Certum igitur est, hac secunda parte v. 15—36 de gentibus reliquis quoque et paganis, non de Judaeis solum agi. Quae exspectatio plane confirmatur, si inspexeris Matth. v. 30 πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, Luc. 24. καιροὶ ἐθνῶν, 25. συνοχὴ ἐθνῶν. Etiam

---

xantes et haereticos per totam sectionem 15—29 videt indicatos (cf. Ambros. l. c. p. 204. Hilarius l. c. c. 26). Sed melioris quoque notae interpretes statum intermedium anquirunt; quem Chrysostomus versibus 23—24 reperisse sibi videtur (cf. not. 9.), versu 29 autem cum Basilio finem mundi videt, quanquam incertus, utrum inde a v. 29 finis mundi subito irruat, an hic quoque pedetentim appropinquet: utraque enim habet (Cat. Cord. p. 323, Cat. Nicetae p. 720. 721.). Sed hi statum intermedium non idcirco quaesiverunt, ut satisfieret versui 14 et Paganorum saluti; toti enim huic intervallo nil relinquunt nisi vaticinium errorum et afflictionum. Vere sane illi, si ante versum 28 intervallum illud positive describi dicitur, quod falsum esse supra ostensum est. Quare longe praeferendi sunt Origenes, Augustinus, Tertullianus, qui incrementa quoque regni Christi, non solum afflictiones et detrimenta reperiunt indicata et mentionem Ethnicorum nec abesse posse nec abesse vident. Origenes multo magis, quam Ambrosius ceteroqui in nostro capite ejus imitator, versus 14 pondus sensit, nec eos a Christo negligi potuisse intelligit. Sed omnium longe acerrime (ne Reformatores quidem excipio) Augustinus in Ep. supra laudatâ legem illam Evangelii nativam, v. 14 propositam perspexit. c. XII. §. 46 ait: „Nescio, utrum intueri aliquid certius in hac quaestione (sc. de parusiae tempore) possemus, si ulla ratione seu facultate possemus, quam illud — quando Evangelio mundus universus repleatur. §. 47: Atque ita (Zeph. 2, 11) et in insulis singulis quibusque impletur quod dictum est, — sicut in universo orbe terrarum, quae tamquam omnium quodammodo maxima est insula, quia et ipsam cingit Oceanus, ad cujus littora in occidentalibus partibus Ecclesiam pervenisse jam novimus, et quocumque littorum nondum pervenit, perventura est utique fructificando atque crescendo. §. 48. 51: Si ergo latet, quando Ecclesiâ fructificante atque crescente universus omnino a mari usque ad mare orbis implebitur, procul dubio latet, quando finis erit; ante quippe non erit.“ Cui sententiae utique verae quomodo consulat exegetice, infra videndum. Tertulliani sententiam habes de Resurr. carn. 22. (cf. not. 33, 17). Ambrosius quoque inde a Luc. v. 24 similia videt de Ecclesiae incremento; e. g. haec dicit ad v. 24: Judaea omnis a nationibus credituris subjicietur in ore gladii spiritalis, qui est sermo bis acutus. Similiter Eusebius quoque in libro diu desiderato, qui inscriptus est Θεοφάνεια, quem anno praeterito idiomate anglico ex versione syriaca edidit V. D. Samuel Lee (cf. Eusebius, Bishop of Caesarea, on the Theophania or divine Manifestation of our Lord and Saviour Jesus Christ. Cambr. 1843.) Book IV, 35. 36. p. 278 sqq.

Matth. v. 27. uti supra vidimus, Christi reditus quandocunque eveniat, simul ad totum orbem, itaque ad omnes gentes pertinere debere dicitur; denique Matth. v. 31. Mc. XIII, 27 dicitur, *τοὺς ἐκλεκτοὺς ἐπισυναχθήσεσθαι ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ᾽ ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ*, unde apparet, Christum dicere, tempore judicii extremi evangelium ad ultimos terrae fines et ad omnes gentes penetrasse. Electi enim nonnisi ibi esse possunt, ubi sunt verbo Christi credentes; nemo enim citra verbum Christi potest electus esse. Ex his omnibus satis superque apparet, Christum minime dicere voluisse, cum Hierosolymorum excidio, quod prope abesse indicat, uti interpretes plurimi recte videre, mundi hujus finem fore conjunctum, sed innuere, post illum eventum spatium novum ecclesiae christianae fore. Innuit vero non solum verbis illis multis, quae de gentibus reliquis fecit inde a v. 27 apud Matth.; sed expresse apud Lucam post Judaismi occasum cum templi Hierosolymitani Palladio memorantur aeones paganorum. Dicit enim v. 24: Hierosolyma conculcabuntur a gentibus, *ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν*. Sed Matth. quoque satis aperte hoc spatium habet, inter Judaismi occasum et parusiam Christi interpositum. Supra enim vidimus, Christum, post nunciatam stragem Judaeorum, v. 23. sqq. non dicere: tunc vigilate, illo enim tempore prope aberit parusia mea; sed ita pergit: tum quoque caveatis vobis, ne reditus mei impatienti exspectatione abripiamini ad errores et ad defectionem a fide et amore. Surgent enim falsi Christi et Prophetae, qui Messiam adesse dicent; sed nolite iis fidem habere; quo manifeste indicat, illud tempus nondum erit parusiae meae sed pseudochristorum et prophetarum *καιρός* v. 24 cf. v. 4. 5. 11.

Sed si tot testimonia adsunt, probantia sub extremam sectionis partem, post narrationem occasus Hierosolymorum, de Ethnicis Christum loqui, ubinam habemus geniculum quasi, ex quo articulata Servatoris oratio mittat Judaeos, progrediatur ad Paganos? Inde a versu 23—28 apud Matth. (et v. 21 ff. Mci.) moram quidem aliquam habes, nec tamen continuationem positivam imaginis historicae seu propheticae. Apud Lucam v. 24 claram habes et perspicuam orationis scissuram, dicit enim post Judaismi tempora eventuros *τοὺς καιροὺς ἐθνῶν* et ipsos certis terminis defi-

nitos (ἄχρι πληρωθῶσιν): et ita Lucas progreditur ad ulteriora. Apud Matthaeum non clare hoc spatium post Judaismi occasum propositum esse, interpretes longe plurimi autumant, forsitan eam ob causam, quia nec vv. 4—14 nec doctrinae Christi eschatologicae alibi apud Synopticos propositae rationem idoneam habuerunt.

Atqui plane certum est, versum 29 plane mittere Judaeos. Nam verbis μετὰ τὴν θλίψιν κ. τ. λ. oratio ita revertitur ad Judaeorum stragem, ut inde ad alia progrediatur (μετὰ τ. θλ.). Negativum supra monstratum est vaticinium versibus 23—28 inesse, moram indicens et cautionem commendans etiam post Hierosolyma diruta. Sed quidnam positivi indicet Christus post v. 28, plerisque dubium. Sensus enim verborum v. 29 valde difficilis. Plane rejiciendos esse eos, qui haec quoque verba ad Hierosolymorum interitum referunt, supra monstratum (p. 15.). Quare illi priaudiendi, qui versus 29. 30. ad extremum judicium referunt. Orationis color huic opinioni favere videtur. Nam solis lunaeque pallor, praecipue vero stellae de coelo cadentes, coelorum virtutes conquassatae, sine dubio fabricae mundi interitum indicant, si verba haec ῥητῶς accipienda sunt. Quando stellae, ait Gerhardus (ceteroqui hanc interpretationem rejiciens) (Loci Theoll. T. XIX. p. 260. ed. Cotta) ab orbibus coelestibus removebuntur, tunc coeli terraeque ruina immediate erit conjuncta. Et qui ita interpretantur, tenebras priori hemistichio v. 29. indicatas juxta Origenis (l. c. c. 48.) consilium (qui itidem hanc interpretationem omnem abjicit) ab incendio mundi fumum atque moestam caliginem fundente derivare, virtutum coelestium vero commotionem aut ad firmamenti ruinam cum fragore irruentis (cf. 2 Petr. III, 10—12) aut ad angelos orbium coelestium custodes, loco suo prae rerum ingruentium horrore cessuros referre possunt. Sed huic primae opinioni multa obstant. Multi enim sunt similes sacrorum librorum loci, quorum pauci ad finem mundi possunt referri. Stellas cadentes habes e. g. Apoc. XII, 4; draconis cauda tertiam stellarum coelestium partem in terram dejiciebat, i. e. tertia pars doctorum a fide deficiebat. Idemque Apoc. VIII, 12 habes, ubi idem eventus vocatur trientis lunae solisque obscuratio. Deinde apud Prophetas saepe solis lunaeque nigredo, stellarum facies pallida, terrae tremor, coelorumque motus describuntur, quando

non de extremo Jehovae die loquuntur, sed de priori, et extremi judicii solummodo imagine. Jesaj. XIII, 9. 10. de Babylonis poena talia refert, Ezech. XXXII, 8 de Pharaonis, Joël II, 10. de locustarum plaga similia refert. — Joël III, 3. 4. expresse scriptum est, prodigia datum iri in coelo et terra, solem conversum iri in tenebras, lunam in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis. Fateor alios locos prophetarum respicere ad interitum totius mundi fabricae e. g. Jes. XXIV, 23. XXXIV, 4. (cf. Apoc. VI, 12. 13.) tabescet omnis militia coelorum, et membranae ad instar complicabuntur coeli, et stellae defluent sicut defluit folium de vineâ et ficu. Sed hi loci non similiores sunt nostro versui, quam priores illi: et Apocal. VI, 12. 13., quod notatu dignum videtur, haec verba non applicat ad mundi finem; nam postquam stellae in terram conciderunt (v. 13) nondum adest terrae mundique finis, cf. v. 15. VII, 1 sqq. quod idem significatum esse videtur voce ὄλυνθος v. 13, quae non maturos sed immaturos fructus notat. Quare verba nostra per se spectata omnino non adducunt in necessitatem, ut ad res extremas ea referas. Sententiarum nexus erit inspiciendus et inde judicandum, quô potissimum verba nostra spectent. Atqui nexus ille ea ad finem mundi referri plane vetat. Etenim primum respice quaeso ad versus 23—28, quibus Christus moram quandam etiam post Hierosolyma diruta futuram indicarat aperte, ac si dixisset: parusia mea mundique finis οὐκ εὐθέως μετὰ τ. θλ. τ. ἡ. ἐ. (v. 21. 22) exspectari debent. Jam vero quomodo v. 29 eodem quasi tenore pergere potuit; εὐθέως post Hierosolyma diruta mundi finis aderit? Quare v. 29 de fine mundi loqui non poterit. Sed plane eadem difficultas occurret, si a v. 29 prospexeris ad versus sequentes. Nam si ad verbum vocumque sonum volueris interpretari, dicendum erit, v. 29 post stellas de coelo decadentes coelorumque virtutes e cardinibus suis revulsas hunc terrae nostrae statum omnino non amplius esse posse. Coelum corruit terra interiit: panolethria mundi descripta erit jam v. 29, et quaecunque post haec eveniant, hoc terrae theatrum non amplius habere possunt. Jam vero v. 30 pergit: καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, et versus 31 undique terrarum collectum iri electos, non sane ruinâ mundi sepelitos, sed in terra viventes (1 Thess. IV, 17).

Quae omnia, uti jam Gerhardus vidit l. c. p. 261, confirmantur iis, quae apud Lucam occurrunt. V. 26 enim Luca autore Christus dicit: *ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ*, scilicet quando virtutes coelestes erunt conquassatae. Inde apparet, ne hic quidem omnia uno quasi ictu nutuque absoluta fore, et locum relinqui non solum pavori praesentium, sed etiam exspectationi futurorum. Clarius etiam idem apparet ex Luc. v. 28: his autem incipientibus tollite capita vestra et suspicite, adpropinquat enim liberatio vestra. Iis, quae vv. antecedentibus de virtutum coelestium commotione etc. dicta sunt, si mundi ruina inesset, non amplius locus esse potest tali admonitioni; bene enim Gerhardus dicit: „in ipso adventus Christi momento nullus amplius relictus erit exhortationi locus — nec indigebunt pii consolatione."

Ubi praesentiam rei habes visumque, absonum foret loqui de rei signis et exhortari ad signa animo volvenda. Et idem plane sequitur ex Luc. v. 29: videte ficum et arbores cujusvis generis: ubi emittunt folia, sponte judicatis, aestatem prope abesse. Sic quoque, ubi haec omnia videbitis ingruentia, judicate, regnum divinum prope abesse.[16]) Fateor, nonnulla antecedentium non signa *τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος*, sed rem ipsam indicare v. c. Matth. v. 31 cll. XIII, 39 sqq.: sed eo magis in eo insistendum, saltem alicubi in versibus proxime antecedentibus talia esse suppeditata, quae s i g n u m parusiae Christi, non parusiam ipsam referant.

---

16) E b r a r d u s in explicandâ hac parabolâ artificiosus, cum prima ficuum folia amaritudinem et venenum habeant, de erroribus agi putat, idque eo consilio, ut Matth. v. 34 verba *ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται* referre possit ad rem illa generatione vivente ingressam, grassantes scilicet errores. Sed reluctatur Luc., qui non ficuum solum folia, sed cujusvis generis arbores indicat (v. 29.), obstat *τὸ θέρος* cf. Matth. XIII, 39. *θερισμὸς = συντέλεια τοῦ αἰῶνος τούτου*, et Matth. XXIV, 33. *ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις*. Parabola haec ex verbo *ἐπισυνάξουσι* (v. 31) promanasse videtur cf. Matth. XIII, 41. Ceterum Hilarius (l. c. c. 26. §. 2. p. 732) quoque dicit: Ramus ficûs Antichristus esse intelligitur, diaboli filius, peccati portio, legis assertor. Frondescere autem quadam peccatorum exsultantium viriditate noscetur; erit enim tum flos criminosorum etc., quibus tamen aestas, i. e. calor aeterni ignis in proximo est. Ambrosius autem (p. 208.) duplicem, ait, habet figuram haec ficulnea vel cum dura mitescunt vel cum peccata luxuriant. Per fidem, quae arebant antea, florebunt, et per gratiam dimissorum peccatores gloriabuntur.

Quod si aliter sese haberet, Christus plane frustra (Lc. v. 28. 29. 30.) suos exhortaretur, ut ex antecedentium signis parusiam et liberationem suam instare colligant. Parabolam vero illam non Lucas solum habet, sed Matthaeus quoque et Marcus. Quaerentibus vero nobis, quidnam signum Matth. verbis v. 29. et Luc. v. 25. 26. Mc. 24. 25. insit, occurrere debet certissimum illud et plane necessarium signum, quod unicum Christus dederat, Matth. v. 14, evangelii ubique locorum praedicationem. *Τότε ἥξει τὸ τέλος*. Sed de hoc infra erit disputandum. Jam vero illud in confesso fore putamus, ab hac primâ explicatione, quae fideliter verbis studet adhaerere, desistendum. Quare ad alios pergendum.[17])

---

17) Patres quoque paene ad unum omnes in v. 29. non cernunt mundi ruinam, sed solummodo appropinquantis ruinae signum. Origenes illi opinioni haec opponit (l. c. c. 48.): primum, mundi finem ab igne exspectandum esse alibi docemur. De quo quum plane sileat locus noster, adeoque defectum seu ignis seu lucis indicare videatur, de mundi fine agi non poterit. c. 49: Deinde Jesaias non defectum sed profectum solis et lunae indicare videtur, quomodo locus noster potest dicere, non dabunt lumen suum? De stellis praeterea quidam dicere tentant, aut omnes aut plures earum majores esse, quam ipsa est terra (quoniam, nisi supra modum magnae essent stellae, neque tanto spatio lumen earum videretur ab omnibus, qui sunt in omni parte terrarum etc.). Quod qui dicant, eos rem naturâ ipsâ impossibilem in eo videre, „ut stellae tantae magnitudinis cadant de coelo. Quo enim et cadant, cum magnitudini earum non sufficiat terra, nec capere possit, ut ita dicam magnitudinem duarum stellarum? Pone tamen, capere eam duas vel tres, numquid et tantam multitudinem capere potest? Ne (i. e. nonne, *μή*) ergo aliquid aliud forte moraliter sentire oportet in scripturis sacris? Et audaciae quidem est, necessarium autem.“ Augustinus vero l. c. §. 42 concludit: Lucam v. 28 habere: his autem incipientibus levate capita vestra, et v. 30: cum videritis haec fieri, scitote, quoniam prope est regnum Dei. Cum ergo dicit: cum videritis haec fieri, quae intelligere poterimus, nisi ea quae supra commemorata sunt? (i. e. ante v. 28 et 30). In his est autem etiam, quod ait: et tunc videbunt filium hominis. Proinde etiam hoc quum visum fuerit, non jam erit regnum Dei, sed prope erit. Et Tertullianus de Resurr. c. 22 haec habet: Emergetis et elevabitis capita vestra, quod redemtio vestra appropinquaverit (Luc. 29.). Et tamen „appropinquare“ eam dicit, non adesse jam, et „cum coeperint ista fieri,“ non cum facta fuerint, quia cum facta fuerint, tunc erit redemtio nostra, quae eo usque appropinquare dicitur. Cujus etiam parabola subtexitur (v. 30.) tenerescentium arborum in caulem floris et dehinc florem frugis antecursorem. — Quis ergo Dominum tam intempestive tam acerbe excitavit jam ad dexteram (a dextera?) Dei ad confringendam terram secun-

Gerhardus l. c. p. 260 et multi alii (cf. not. 17.) vident, si non omnia, tamen quaedam ex his signis ante judicium extremum mundique finem (quem veteres Ecclesiae evangelicae doctores, Gerhardus, Quenstedtius, post judicium extremum exspectant) eventura, sed paulo ante mundi finem, sicut signa Hierosolymorum ruinam vaticinantia aliquot annos aut menses antecedebant. Quemadmodum vestimentum prius veterascit, antequam penitus dissuatur, sic verisimile est, totam rerum universitatem insigne decrementum prius accepturam, antequam ultimo igne penitus deflagret (Gerh. l. c. 264). Quemadmodum in senio hominis omnia prius fiunt languida, antequam homo moriatur, oculi caligant, aures obsurdescunt, manus ac pedes tremunt, vires deficiunt, animus moeret: sic appropinquante mundi interitu totâ coeli terraeque machina ob vetustatem, quam contraxit, movebitur ac mutabitur, luminaria coelestia obscurabuntur, virtutes coelorum movebuntur, erunt crebri terrae motus ac homines prae angore ac tristitia deficiunt.[18]) Sed ubi quaesiveris, cujus generis prodigia illa futura sint, utrum prorsus hyperphysica et antiphysica, an vulgaria et ordinaria, nova exoritur difficultas. Etenim praeternaturales et prorsus prodigiosae eclipses quoque ab impiis et empaectis contemni posse liquet, quum teleologicus naturae cum historia nexus ipsis plane incredibilis esse soleat; pii autem ea quoque, quae causis naturalibus efficiuntur, a Deo disposita esse sciunt, et vim signandi iis inesse vident. Quid ergo signis praeternatu-

---

dum Jesaiam, quae puto, adhuc integra est? Quis inimicos Christi jam subjecit pedibus ejus secundum David, quasi velocior patre, omni adhuc popularium coetu reclamante: Christianos ad leonem! — Nulla ad hodiernum tribus ad tribum pectora ceciderunt, agnoscentes, quem pupugerunt.“ Chrysost. Cat. Poss. p. 323. ad Matth. 33 parabolam ficulneae argumento esse ducit, *ὅτι οὐκ εὐθὺς τῶν σημείων φανέντων ἔσται ἡ συντέλεια;* quanquam in Cat. Nic. 720. 721. parabolam docere putat, *ὅτι οὐ πολὺ τὸ μέσον, ἀλλ' ἐφεξῆς καὶ η παρουσία ἐπαντήσεται.* Fateor, hos quoque Patres — excepto forsitan Tertulliano in loco nostro errasse. E. g. Augustinus triplicem Christi parusiam (*a*, in carne et humilitate, *b*, praesentiam Christi per Ecclesiam, *c*, per semet ipsum, cum majestate rediturum) quam recte cognovit, nostro quoque capite ita quaerit, ut praesentiam Christi per ecclesiam etiam Matth. 31 sqq. indicatam videat. — Sed bene hi viri senserunt, v. 29 nondum mundi consummationem depingi.

18) Similia habet Origenes, l. c. c. 36. Ambrosius l. c. p. 203.

ralibus opus est? (Gerh. l. c. 265.) Nec ipse Christus signa haec vocat τέρατα i. e. mirabilia, sed σημεῖα, (Luc. 25.) i. e. signa. Quomodocunque vero hoc sese habet; si singula inspicias, in minutias redigeris. Obscuratio lunae solisque, eclipsis evadet seu miraculosa, seu naturalis, seu minor seu major temporis ratione et spatii: stellae de coelo casurae (cum non mundi exitium afferre, sed vaticinari eis liceat,) erunt exhalationes in aëre accensae et post conflagrationem decidentes;[19]) aut fulgura et ignitas exhalationes stellarum formam referentes Angeli ejaculabuntur, ut stellae ipsae ruere videantur (cf. Gerh. l. c. 268. 269.), aut prodigiosa signa

19) Haud sane multi interpretes stellas veras de coelo casuras v. 29 admittunt. De Origene notâ 17 disputatum. Basilius quidem (Cat. Nic. 718) παντελῆ τῶν ἀστέρων σκότωσιν καὶ τοῦ παντὸς μετακόσμησιν v. 29 indicatas videt, et similiter Theodorus Mopsv. Cat. Poss. ad Matth. p. 323. mundi deflagrationem v. 29 deprehendit. Paganos quidem, ait, aegre talia ferre, sed Deo nil esse impossibile. Longe plurimi vero aut prodigia quaedam versum 29 vaticinari putant, aut tropice verba explicant. August. de civitate Dei L. XX, 24: Et illud, quod scriptum est, stellas de coelo esse casuras, praeter quod potest multo probabilius et aliter intelligi, magis ostendit, mansuros esse coelos istos, si tamen stellae inde casurae sint; cum vel tropica sit locutio, quod est credibilius, vel in isto imo coelo futurum sit, utique mirabilius, quam nunc fit. Unde et illa Virgiliana Stella facem ducens multâ cum luce cucurrit, et Idaeâ se condidit sylvâ. — cf. Ep. 199. c. 9. §. 25. et Hippolyt. l. c. c. 8. Calvinus quoque l. c. p. 277. „Quomodo sol obscurandus sit, hodie conjicere non possumus, sed eventus ipse ostendet. Stellas quidem non re ipsa casuras intelligit, sed secundum hominum sensum; ideo apud Lucam tantum praedicit, fore signa in sole et lunâ et stellis. Sensus ergo est, tantam fore machinae coeli concussionem, ut stellae ipsae cadere putentur.“ — Reliqua quoque v. 29 verba in subjectivam contemplationem vertunt (causâ utique objectivâ et divinâ non destitutam) omnes illi Patres, qui ingeniose sane claritate Christi et gloriâ ad judicium venientis obtenebratum iri solem docent. In quibus est Hilarius, Hieronymus, Eusebius, Chrysostomus cf. Cat. Patr. in Luc. a Cord. ed. ad v. Lucae 25. 26. Eusebius haec dicit: Sol tunc obscurabitur, non quod proprio privandus sit lumine, sed quod praesentiâ meliori sit obfuscandus. Verum instauratione universi factâ defectuum ac laborum suorum vicariam accipiet remunerationem septuplicatum lumen recipiens. — Cum vitae corruptibilis consummatio agetur, novum seculum succedet, in quo vice sensibilium luminarium ipse Christus fulgebit quasi jubar et Rex novi seculi, cujus tanta erit divinitatis virtus et gloria, ut sol, qui nunc radiat atque luna adventu majoris luminis occultanda sint. Ceterum horum Patrum explicatio jam prope abest a tertiâ illa viâ, quam mox videbimus.

et portentosa in stellis exspectanda, splendorem earum debilitantia;[20]) aut denique redibitur ad grandes terrae motus, in quibus evenire solet, ut undulata telluris concussio, nunc demissio nunc elatio omnia quasi vacillantia stellasque orbibus suis dejectas ostendat. Coelestium denique virtutum commotio cum nemo nunc ad angelos eorumque aut admirationem aut horrorem referat, erunt aut defectus efficaciae in haec inferiora loca ab astris defluentis, aut; (cui opinioni Gerh. l. c. 270 favet) insignes in coelo aethereo et aëreo mutationes, mirabilis ejus facies e. g. chasmata, turbines, ventorum grandines, pluviae sanguineae, horribiles tempestates, novae stellae, infausti et horrendi adspectus, eaque omnia, quae in aethereâ et aëreâ regione extraordinaria, insolita ac praeternaturalia contingunt.

Sed quum vix verisimile sit, Christum suos edocuisse de solis potius lunaeque quam de Ecclesiae laboribus, de stellis erraticis potius, quam de erroribus, de grandinibus potius pluviisque sanguineis, quam de agro hujus mundi martyrum sanguine foecundando, de maris potius motibus (Lc. v. 25: *ἐν ἀπορίᾳ ἤχους θαλάσσης καὶ σάλου*) quam de gentium commotione ad Christum trepidantium: etiam secunda haec et medias quasi partes tenens explicatio deserenda erit, ne ad pusilla et minutias abigamur. Praestaret sane redire ad priorem illam explicationem mundi hujus fabricae ruinam hic reperientem. Sed quum haec quoque tot tantisque prematur difficultatibus, eique sequentium et antecedentium versuum contextus refragetur, aliâ viâ incedendum et figuratae seu metaphoricae dictioni aliquid dandum erit. Sed caute hâc viâ incedendum, ne arbitrio et ludibrio locus relinquatur, quo multi sunt irretiti. Perlustremus varias sententias, huc pertinentes.

Veritas saepe lux seu luminare, sol aut stella appellatur: solis itaque obscuratio et lunae nonnullis videtur esse ecclesiae quasi eclipsis, coelestis doctrinae obscuratio. cf. Apoc. I, 12. 16. 20. Septem stellae sunt angeli septem ecclesiarum; septem ecclesiae

---

20) cf. Lactant. Instit. VII, 16. ed. Walch p. 848. 849.: Prodigia quoque in coelo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent, et crines cometarum et solis tenebrae et color lunae et cadentium siderum lapsus. Nec tamen haec usitato modo fient, etc.

sunt septem candelabra. Itaque Ecclesia quoque tota lucis divinae sedes sol posset nominari et luna; aut Christus esset sol, Ecclesia vero luna: itemque stellae de coelo cadentes essent magistri ecclesiae de alto dejecti propter defectionem a fidei sanitate.[21]) Sed quid *αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται* significaret? Patet enim, haec verba grandiora esse, quam quibus haereticorum efficacia describi possit. Atque huic interpretationi plane repugnat illud, quod sic idem repeteretur, quod vix anteâ dictum erat; liquet autem, versu 29 ad novi quid transitum fieri. Praeterea haereticorum labe omne per aevum ecclesia laborat, quare nisi singulare quid de iis adjectum est, ipsi non possunt diei extremae signum propius esse. Sed nullibi talia adjecta sunt. Reluctatur Lucas quoque adjiciens *καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν.* Quomodo enim hoc ad haereses in ecclesia orturas pertinet? Denique mirum sane foret, Christum loqui quidem de Judaismi strage, loqui de Pseudoprophetis, ne uno vero verbo attingere Ecclesiae incrementum, verbi divini laborem efficacem, paganorum subjectionem, sub crucis signum faciendam.[22])

Quare missas faciamus has explicationes parum sane satisfacientes, et quaeramus, nonne verbis nostris de Evangelio ad gentes terrae progrediente agatur, nonne paganorum denique post Judaeos mentio fiat. Ita demum toti Christi eschatologiae aliunde

21) Ambrosius l. c. p. 206, ad Luc. 25. 26.: Plurimis enim a religione deficientibus clara fides obscurabitur nube perfidiae. Et Augustinus Matth. v. 29. et Luc. 25. 26. ad Ecclesiam referendos putat: „ne Dominus Jesus appropinquante secundo adventu suo ea pro magno praedixisse videatur, quae huic mundo et ante primum ejus adventum consueverant evenire (cf. §. 34.) et irrideamur ab eis, qui haec, quae velut novissima et omnium maxima horrescimus, plura in historia gentium et multo majora legerunt. — Ecclesia est Sol et Luna et Stellae; — obscurabitur i. e. ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum saevientibus. — Tunc stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum movebuntur, quoniam multi, qui gratiâ fulgere videbantur, persequentibus cedent et cadent. A quâ interpretatione ne Chrysostomus quidem plane alienus fuit. Origenes autem, quanquam hanc interpretationem et ipse videret (l. c. c. 49), ad aliam tamen se convertit. cf. not. 22.

22) Origenes mavult aut spiritualem et perennem Christi adventum in animis et in ecclesia, atque certamina inde oriunda hic cernere; (cf. Ambros. l. c. 207.) aut aliò plane se convertere. Monet, Christum dixisse: Vidi Satanam de coelo cadentem fulguris instar Luc. X, 18. Itaque hunc sensum reperit:

nobis notae, ita demum capitis nostri capiti priori ejusque eschatologico quasi prospectui, praesertim vero versui decimo quarto satisfactum erit.

De ipso mundi fine agi non posse Lc. v. 25. 26 cll. Matth. 29 sed de rebus mundi finem et Christi reditum antecedentibus supra ostensum puto (p. 53 sqq.). Addo, quod Christus saepissime dicit, se inopinato venturum (e. g. Matth. XXIV, 38 sqq. Luc. XVII, 26 sqq.) Atqui Lc. v. 26 loquitur de *προσδοκίᾳ τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ;* Parusiae Christi tempore homines supina securitate immersi erunt, madescent, ut Augustini verbis utar, luxurie (1 Thess. V, 3. Matth. XXIV, 38. Luc. XVII, 26 — 30) dicent: Pax est et securitas; eo vero tempore, de quo loco nostro agitur, arescent prae metu (*ἐν ἀπορίᾳ ἤχους θαλάσσης — ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ*). Ergo aliud est illud tempus, aliud hoc. Praeterea aliunde constat, ante seculi consummationem judiciique extremi diem Ecclesiae florem insignem aliquamdiu fore (cf. Luc. XIV, 14. 15.) in ipsis terris. Cui laetissimo tempori, forsitan a Luca indicato XXI, 28 (*ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις ὑμῶν* et v. 31. *ὅταν ἴδητε ταῦτα, γινώσκετε, ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ*) locus omnino non relinqueretur, si Christus post v. 22 apud Matth. nonnisi de haeresibus aliisque malis locutus esset, Matth. 29. autem et Lc. 25 statim ad mundi consummationem festinasset.

Quas tot tantasque difficultates nonnisi ita superari posse confido, ut non allegorice quidem, sed tropice verba v. 29 parall. dicta concedamus. Fateor, nonnisi ita figuratam orationem sano interpreti agnoscendam, ut contextus ipse a proximo verborum sensu sonoque nos avocet, nec velle se *ῥητῶς* accipi clare demonstret. Sed eum nolle *ῥητῶς* accipi, nolle v. 29 mundi ruinam tradere, cum posthac gentes referantur in terra degentes, mon-

---

Diabolus, qui affectat speciem Angeli lucentis, obtenebrabitur, quoniam in consummatione est arguendus. Luna vero est ecclesia malignantium a sole diabolo illo illuminata; stellae cadentes de coelo sunt omnes seducentes, falsi doctores. — (Nubes vero Matth. v. 30., quibuscum Christus aderit, erunt homines et spiritus justi, qui veluti nubes testium gloriae ejus et veritatis eum obstipabunt. Quod et Ambrosio placuit et Augustino.). Cui allegoricae explicationi conferri possunt, quae de Vitringa infra afferentur. (Not. 24.).

stratum. Praeterea multa indicare, inde a v. 29 Lc. 25 sqq. quoque progressui successivo non subitaneo locum relictum, apparet[23]). Denique orationi propheticae, quo magis ad res longe remotissimas et extremas vergat, eo magis figuras troposque convenire in confesso est. Quod qui negat, volvat Apocalypsin, aut Jesajam c. LXII—LXVI, vel audiat Tertullianum adv. Marc. III, 5: „montes legimus destillaturos dulcorem, non tamen ut sapam de petris aut defrutum de rupibus speres; et terram audimus lacte et melle manantem, non tamen, ut de glebis credas te unquam placentas et samias coacturum, quia nec statim aquilicem et agricolam se Deus repromisit, dicens: ponam flumina in regione sitienti et in solitudine cedrum et buxum." Torrentis marisque undae decumanae saepissime significant gentium strepitum Ps. XCIII, 3. 4. cll. 1. XCVI, 11. XCVIII, 7. 8. cll. v. 9; idem Lc. v. 25 indicari mihi persuadent verba καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν consilii inopum propter marinorum fluctuum strepitum i. e. confusio erit gentium ea, ut consilio destituantur in tanta pressurâ populorum undarum ad instar sese invicem obvolventium.[24]) Stellae vero de coelo cadere dicuntur, non solum ubi mundi consummatio discribitur; sed alio quoque modo eoque vario. Jes. XIV, 12 enim Rex Babylonis vocatur Lucifer, quem propheta sic

---

23) cf. Tertullian. de resurr. carn. 22.

24) Supra vidimus (not. 11.), non paucos ex illis, qui grandi illi gentium migrationi intererant, pressurae gentium a Luc. v. 25. indicatae memores fuisse. Augustinus quoque Ep. 199. c. 10. §. 35.: „sub imperatore Gallieno, dicit, cum Romanas provincias barbaries usquequaque pervaderet, quam multos fratres, qui tunc erant in carne, putamus propinquum finem credere potuisse?" Praecipue vero Hesychius Ep. 198. §. 5. Lucae versus 24. 25. ad suam aetatem retulit. Erravit sane in eo, quod mundi finem proxime instare conjiciebat propter signa v. 24. 25. magnâ ex parte jam completa; nec vero erravit in eo, quod ad suum quoque aevum versus illos pertinere videbat. Quod etiam vidit Henr. Morus Opp. Theol. lat. L. VI, c. 1 p. 204, ita tamen, ut v. 29 praesertim Imperii Romani cadentis descriptionem videat. Camp. Vitringae ed. Jes. XXXIV, 2 T. II, 276. allegoricâ viâ incedens praeter Paganismi occasum (de quo dubie loquitur, et ita, ut paganorum Caesarum clades anquirat) v. 29 ejus mundi statûs finem indicatum videt, qui inde a Carolo M., sub ecclesia Romana pravam politicae (i. e. Solis) cum ecclesiasticâ oeconomiâ (i. e. Luna) texuit conjunctionem. — Nec non plura alia huic versui putat inesse, quae non indicat.

alloquitur: quomodo cecidisti de coelo, o pulchre Lucifer! Luc. X, 15 Christus ait: Tu autem Capernaum, ad coelum usque elata ad Orcum detruderis; et paulo post: v. 18 vidi Satanam fulminis instar coelitus dejectum; et similiter Apoc. XII, 7—9. Jo. XII, 31. Quae omnia probant, de coelo dejici idem esse, ac flore et fortunae nitore aut imperii majestate privari; qui enim pollet potentiâ aut flore, stellae similis est in coelo fulgenti. Jam si nostro loco dicitur: stellae de coelo cadent, sensus erit, quaecunque magna videbantur et excelsa hucusque in vetere mundi statu, dejicientur excelsitudine sua et potentiâ, majore sane principatu, i. e. Regis regum majestate iis superveniente. Nam quum non una stella aut duae sed omnes stellae nominentur, (οἱ ἀστέρες) iisque addatur sol et luna (Mt. 29. Mc. 24. Lc. 25.) obtenebrandae, rerum mutationem instare vaticinatur post Urbis eversionem, non angustis sane finibus Judaeae adstrictam, sed plane universalem et ad τὴν οἰκουμένην pertinentem. (Lc. 26.) Quare locutiones eae, quas habes Mt. 29. 29. Luc. 25, sensu multo strictiori sumendae sunt, quam plane similes, in rebus multo minoris momenti describendis apud prophetas obviae. Joel II, 10: prae populo (locustarum) terra tremit et coelum conquassatur, sol et luna obscurantur, stellae cohibent fulgorem suum. Et de Pharaonis interitu ita vaticinatur Ezechiel XXII, 7: Jam, ubi plane de te actum erit, obvelabo coelum stellasque obfuscabo. Nec secus de Babylonis interitu Jesajas XIII, 9—13: Ecce dies Domini venit crudelis, irata, ferox, ut devastet terram. Stellae enim coeli ejusque Orion non lucide lucent: sol oritur obscurus et luna obtenebrata. 13. Coelum movebo, ut tremat terra de loco suo. Joel denique c. III, 1—4. de tempore loquens antecedente diem Domini magnum et terribilem, de tempore illo, quo Domini spiritus effundetur super omnes gentes, addit: eoque tempore (v. 2.) servis et ancillis dabo spiritum meum, et signa dabo in coelo et terra, sanguinem, ignem, spissumque fumum; solis lumen in tenebras, lunae splendor in sanguinem convertetur, prius quam veniat dies Domini magna.[25]) Jam, quid erunt signa illa in coelo (Joel III, 3. Lc. v. 25)? Idem erunt,

25) Signa in terrâ sunt: sanguis, ignis, spissusque fumus, — quae omnia efficaciam Evangelii in terra militantis indicant. De sanguine confe-

atque obscuratio solis et lunae apud Mt. et Mc., quod patet ex Joele III, 3. 4. — Sed quid his omnibus significatur? Adeamus Lucam, qui explicationis causa v. 26 (*αἱ γὰρ δ.*) addit: signa illa coelum et terram amplectentia (v. 25 *ἐν ἡλίῳ κ. τ. λ.*, *καὶ ἐπὶ γῆς*) explicationem suam habere, et probe intelligi, si reputaveris: *τὰς δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσεσθαι*, i. e. antiquum mundum quasi e cardinibus suis revulsum iri, mundique polos et axem immutatum iri et conversum. Tantaeque rei quasi praesensione (*προσδοκίᾳ τῶν ἐπερχομένων*) ad orbem universum pertinentis (*τῇ οἰκουμένῃ*) gentium fore tam ingentem confusionem et pressuram, ut anheli quasi et inopes consilii fiant homines. Plane novum enim ingruere rerum ordinem, homines praesentiscunt. Paganorum imperiorum gloria splendorque interibit, orbis terrarum evadit christianus et novum aevum incipiet. Cujus indolem ut positive delineemus, verbis utamur Eusebii (Cat. Patr. in S. Luc. a Cord. ed. p. 525. no. 30.) „fores coeli aperientur, valvae convexorum relaxabuntur, — coeli januae a seculo clausae patebunt, ut excelsa spectentur. Sic coelum et terra nova erunt.“[26]) Quae quanquam Eusebius dicit de mundi consummatione, eadem tamen quadrare ad Christi adventum in Ecclesia et ad coeli terraeque reconciliationem, coelestem vitam usquequaque hominibus aperientem, probant Christi verba apud Joannem I, 51: *ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.* Nec sane idcirco Christi regnum audit *βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, quod nonnisi coelum nobis promittat in alterâ vitâ aut post seculi consummationem, sed *συνεκάθισεν ἡμᾶς (ὁ θεὸς) ἐν τοῖς ἐπουρανίοις ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* Eph. II, 6. Col. I, 20. III, 3. 4. Phil. 3, 20. Non nego, illam coeli aperturam, quae continuo fit per Evangelii victoriam terrestrem, rursus figuram esse et typum plenae regni coelestis revelationis, quae post mundi finem aderit. Sed si res, quas versus nostri indicant, in semet ipsis rursus prophetici aliquid habent, non statim

ras Matth. 6. 7. X, 34. de igne Act. II, 3. cll. 19. et Luc. XII, 49. 50. Matth. IV, 11.

26) Simili modo Chrysostomus verba illa: „ *αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται*“ explicat ib. no. 27.

dicendum, duplicem iis sensum inesse: sed fatendum, Evangelii quoque efficaciam Christique primum adventum coeli fores nobis reclusisse, antiquum mundi statum conquassasse novumque rerum ordinem introduxisse et introducere. Evangelii in orbe terrarum propagatio et victoria non rerum omnium finis est, sed signum idque proximum plenae Christi revelationis (Lc. v. 28. 30. Matth. 33. Mç. 29.). Sed ut signum sit, esse debet et evenire, priusquam eveniat illud, quod est signatum. At si rerum extremarum vaticinium quasi alterum sensum verbis Lc. 25 sq. Matth. 29 indideris, jam non habebis signum, sed rei significatae praesentiâ signum vaticinans omne exstinguetur et absorbebitur. Quare uni verborum sensui hic quoque adhaerendum, quanquam res his verbis indicata rursus vaticinatur alia eaque ultima (cf. Matth. v. 14.).

Quanquam vero ea, quae supra sunt disputata, forsan sufficient ei, qui in re tam difficili verisimilitudinem quoque non aspernandam putat, magna tamen explicationi nostrae firmitas inde mihi addi videtur, quod, si accuratius inspexeris, delectus quoque verborum Matth. 29 et parall., mentio solis, lunae, stellarum et firmamenti mire quadrare videtur ita, ut proximus quoque horum verborum sensus non sit abjiciendus, sed vis nativa ipsorum quodammodo maneat. Post Judaismi stragem grandem fore et universalem rerum commutationem reperimus, rerum paganarum scilicet occasu. Jam vero constat, paganos addictos fuisse deificationi et adorationi Naturae ejusque virtutum, praesertim solis, lunae, stellarum, ita ut horum cultus Paganismi quasi ἀρχή i. e. summa et origo dicatur[27]). Religiones ethnicae Naturae characterem referunt: Naturam rerum habent Reginam in coelesti quasi solio sedentem. Quare quomodo Ethnicismi quoque occasus post Judaismi cladem a prophetico ore vividius veriusque poterat describi, quam his verbis: Sol obscurabitur et Luna non dabit lumen suum, nempe prae Evangelii luce divinâ et vere coelesti: stellae autem de sede sublimi et divinâ dejicientur? Constat solem et astra omnesque totius mundi virtutes magicâ quasi vi et incantatione mirabili genus nostrum affecisse et afficere, priusquam coelestis et spiritualis lucis fulgore mens hominis ipsa lucescere

27) cf. Origenes de la Rue IV, 226. 227. — Deut. IV, 19. XVII, 3. — Jerem. VIII, 3.

coeperit (Phil. II, 15. 2 Petr. I, 19.) et physicae majestati ethicam et plane divinam opponere didicerit et anteferre. Habent sane sidera potestatem suam a Judaismo quoque invictam, quae in eo posita esse videtur, ut coelum et astra eum, qui verum non habet Deum ad superstitiones (e. g. ad nativitatem pertinentes) alliciant; et quum divinae majestatis aliquid referant, eum qui non ethicâ Evangelii vi et naturâ adjutus physica omnia transcendere valet, fascinando quasi cogunt, ut ipsa habeantur pro summis et divinis. Evangelii vero dono hoc coelum omne de sede altissima dejectum, superius vero coelum et summum apertum est: et qui a paganismo convertitur ad Christum, antiquas illas coeli potestates de coeli throno dejectas jam videt, Christum vero hominis filium in vero et aperto coelo sedentem[28]) thronoque aeternâ luce fulgente, non evanido solis et siderum lumine (cf. Hebr. XII, 27).

Sic illud quoque intelligetur, cur lucis christianae per orbem terrarum penetrantis efficacia tam horrendis verbis describatur v. 29, et cur v. 30. demum fulgentis signi christiani victoria indicetur? Scimus enim, eam esse religionis christianae naturam, ut severi primum judicii et certaminis acerbi munere perfungatur. Idcirco v. 29 habet verba judicii plena de omni mundo antiquo i. e. pagano ferendi. Christi, Solis veri, ortum in orbe terrarum anteire debet occasus mundi antiqui. Sed judicium illud quantumlibet severum haud sane enecat: sed per Hadem quasi ad coelum apertum ducit (Matth. v. 30.). Sicuti enim mundus antiquus non solum labe suâ internâ corruit, sed etiam appropinquantis signi Christiani omnipotentiâ, sic fieri nequit, quin

28) Matth. v. 30. *καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ.* — Cui sane contemplationi homini christiano necessariae cohaeret opinio illa, in historia ecclesiasticâ passim rediens, de crucis signo in coelo conspicuo. Utrum opinio illa, praesertim Constantini M. aetate, in ipso discrimine certaminis religionis christianae cum Paganismo occurrens, vera sit necne, parum forsitan nunc interest. Illud vero exinde quoque elucet, victoriam Christi de Dea naturâ relatam veriori et vividiori imagine non potuisse describi, quam ita, ut Naturae thronum jam a Christo et crucis signo occupatum dicerent et sentirent. Ita ut de quavis gente paganâ ad Christum conversâ dicere possimus, ei *φαίνεσθαι τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ.*

post superatum Ethnicismum lux christiana in orbe refulgeat, et jam judicium illud mitescat, vitam quippe non mortem exspectatam afferens. Quae duplex judicii natura prophetis sane V. T. notissima inesse mihi videtur etiam Matthaei verbis (v. 30.) *καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς.* Pectora enim caedunt non solum lugentes et qui affliguntur judicio divino, sed etiam poenitentes (Luc. XVIII, 13.) et suffragari mihi reor Sacharjam, qui c. XII, 10. vaticinatur: „et super Davidis domum et Hierosolymorum cives effundam gratiae spiritum et precum, et suspicient me, quem pupugerunt, quemque plangent planctu tali, qualis fit de filio unigenito: et lugebunt luctu tali, qualis est de infante primo." Cujus planctus fructum indicat Sach. XIII, 1. Illo tempore liberum habebunt et apertum fontem, peccata abluentem.

Post universalem vero mundi poenitentiam illam et judicium, (quanto tempore post, non dicitur,) e coelesti solio Christus redibit majestate non amplius occultâ sed visibili, non solum amoris, sed potentiae quoque et justitiae plenâ.[29]) Eadem natura duplex inesse videtur verbis Luc. v. 24: (Hierosolyma conculcabuntur a gentibus) *ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν.* Etenim ipsis quoque, non solum Judaeis (v. 22.) imminebit judicium, sed tale, quod non solum destruat, sed per destructionem pergat ad aedificationem. Post Judaismi interitum gentibus ex paganis oriundis non solum conversionis opportunitas data est, sed etiam in rebus divinis principatus quidam, quanquam finibus suis adstrictus; finis enim hujus Christianorum e gentibus oriundorum principatus, indicati a Luca Apostoli gentilium discipulo, innuitur verbis *ἄχρι πληρωθῶσιν οἱ καιροὶ ἐθνῶν.* Quibusnam eventibus *οἱ καιροὶ τῶν ἐθνῶν* v. 24 repleti sint (numerus enim pluralis spatium longius indicat), id exponunt versus sequentes 25. 26., si nostram explicationem admittis. Quid, quod etiam vox illa *εὐθέως* Matth. v. 29 jam suum

---

29) Verba Matth. 30 ultima: *καὶ ὄψονται, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου κ. τ. λ.* proprio commati adsignanda erant, sicut Mc. 26. Luc. 27: ita ut sensus sit: propagatione Evangelii per orbem terrarum absolutâ parusia erit. Ceterum utrum illa verba reditum Christi ad regnum, quod vocant millenarium indicent, an ad judicium, equidem nolim decernere. Illud vero mihi plane certum, de mundi consummatione loqui Matth. 35. parall., et Matth. XXV, 31 de judicio extremo.

retinet sensum, sine ullâ pravâ arte et detortione. Christus enim inde a versu Matth. 15 de Judaismi occasu verba fecerat; jam v. 29 ad Ethnicismi progreditur occasum, et tenorem sequens v. 4—14 delineatum hoc dicit: Judaismi stragem excipiet statim Ethnicismi interitus, qui sane et ipse non uno absolvetur momento, sed per ministrorum Verbi passiones et κήρυγμα progredietur. Nihilosecius statim post Judaismi occasum ad dejiciendum Ethnicismum religio Christiana i. e. Rex Christus et Ecclesia tota convertitur, et continuâ quasi unâque victoriâ eam opus hoc absolvisse viresque Paganismi fregisse, novo eoque christiano rerum ordine introducto constat. Nec illae solum gentes, quae mundi antiqui imperium tenuerant et classicae vocari solent, signum agnoverunt Christi in coelo regnantis, sed barbaries quoque, quam Lucas v. 25 cll. 10. et Mtth. v. 7. indicare videntur, urgens ad terras luce christianâ illustratas quanquam victrix feliciter a victis victa est.

Confitendum, judicium de Judaeis latum longe funestius esse. Judaei enim modo violento franguntur et judicio externo, non interno: Ethnici vero interno quoque judicio tam feliciter percutiuntur, ut longissime antevertant Judaeis, si qui post stragem illam superstites sunt futuri. Judaei enim sibi erunt relicti (Matth. XXIII, 39); ex illorum communione migrare justo tempore Christiani XXIV, 16 jussi erant. Regni hegemoniam ab ipsis ad Paganos cessuram, Christus edixerat Matth. XXI, 43; ergo a religionis christianae gratiâ ab ipsis repulsae exclusi erunt. Quo Paganorum principatu judicium de Judaeis latum acuitur, Judaeisque postpositis sublimique, quem tenuerant, loco dejectis perennis quasi infixus est aculeus. Qui aculeus num aeternus erit, et aeterna sententia exclusoria? Quae quaestio non solum primitivae Ecclesiae, quâ erat erga Hebraeorum proavos pietate et gratitudine, erga aequales misericordiâ (Rom. IX, 1 sqq.), gravissima videbatur; eadem non solum magni momenti esse debet propter tot Prophetarum effata, Judaicae quippe genti salutem finalem vaticinantia, sed eadem ab ipso Christo praeteriri non poterat, nisi a principiis illis v. 4—14 propositis deficiebat. Severissimum quidem judicium illud, quo veluti fulmine divino tacti sunt, postquam nationis quasi decreto eum rejecerant, cujus pa-

riendi causâ hic populus erat electus et servatus, justissimum fuisse, minime negandum. Sed si posteri quoque illorum Judaeorum eodem anathemate obstricti manent, et vivere nescii et mori, ut est in fabulâ illâ saepissime a nostratibus tritâ, Evangelium sane ipsum sibi non satisfecit et munere suo historico judicium extremum per Verbi praedicationem praeparante non perfunctum erit. Quare necessitas sane imposita erat, ut post judicium nonnisi externum de Judaeis ferendum, deinde et externum et internum ad Ethnicismum pertinens, oratio Christi ullo modo reverteretur ad Judaeos et ad indicandum judicium internum atque salutiferum, cujus locus ipsis quoque foret relictus. Jam Matth. XXIII, 39 innuerat: nunc se ab ipsis secessurum quippe indignis, qui porro ipsum videant, sed tempus resipiscentiae venturum indicarat, quo messiana salutatione ipsum sint compellaturi. Nostrâ autem in oratione diserte quidem dictum erat, Judaeorum aetatem seu *καιροὺς* exceptum iri a *καιροῖς τῶν ἐθνῶν*, sed horum principatum certis quibusdam finibus constrictum iri, indigitatum erat (*ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν*) secundum Lucam (v. 24.) Pauli apostoli comitem, qui Rom. XI, 25 vel locutione perquam simili dicit: Jsraelitarum parti contigit obduratio *ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰς έλθῃ*. Verbis Lucae v. 24 itaque negativum habes idque clarissimum indicium, orationem Christi, jam inde a v. 25 Matth., 29 ad Ethnicos progredientem eorumque *καιροὺς* et negative (Matth. 29) et positive (30) delineantem (Luc. 25. 26.), nondum posse absolutam esse, nisi ullo modo ad Judaeos et ad finem principatus Christianorum e gentilibus oriundorum recurrat.

Forsan conjicies, huic desiderio satisfactum esse Matth. verbis v. 30. *καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς*; si enim omnes *κόπτονται, κόπτεται* et Judaeorum *φυλή*. Non inficior, hic describi plane universalem evangelii efficaciam, et Judaeos quoque his verbis involvi, cui suffragatur locus supra allegatus Sach. XII, de Judaeis loquens, ad quem nostra verba videntur alludere. Sed Mc. et Lc., qui verba illa Matth. v. 30 non habent, ad expressam quoque mentionem gentis Judaeorum Christum reversum esse referunt Mc. 30. Lc. 32, et consentit plane Matth. v. 34.

Per vocem ἀμὴν enim adseverat, hanc gentem[30]) non interituram, donec πάντα ταῦτα evenerint. Verba πάντα ταῦτα v. 34. respiciunt ad πάντα ταῦτα v. 33: ideoque amplectuntur omnia, quae finem antecedunt finisque signa sunt. Τὸ σημεῖον vero κατ᾽ ἐξ. adeoque unicum est illa Evangelii in orbe terrarum propagatio et efficacia, quâ omnes ad judicium maturescunt (v. 14.) extremum. Ergo, si Christus dicit, πάντα ταῦτα superstite hac gente eventura, simul dicit, ipsi quoque facultatem credendi et verbi audiendi restitutum iri. Si vero accuratius Matth. v. 34 inspexeris, haec ei videntur inesse: primum incertum esse poterat, utrum hic populus strage illâ plane sit interiturus, (quod utique non paucis contigit gentibus) priusquam credat, an post funestam illam cladem superstes sit futurus; deinde, utrum mores suos cum infidelitate tenaciter sit servaturus, donec ad omnes alias gentes pervenerit Evangelium, an citius credens mutatione felici peculiaris populus esse prius sit desiturus? denique, num reverâ Evangelium atrociter ab ipsis repulsum ad eos reversurum sit? Quae omnia Christi verba Matth. 34. parall: respicere videntur. De quaestione ultimâ jam disputatum, et per verba πάντα ταῦτα eam affirmari ostensum. Ad secundam vero et primam Christus aperte adseverare mihi videtur, hanc gentem non solum superstitem fore[31]) post funestum illud judicium, sed etiam peculiarem populum mansuram moribusque patriis adhaesuram, donec omnia illa signa impleta sint: i. e. ubi gens Judaeorum peculiaris populus esse desitura sit, cetera omnia jam absoluta fore et Evangelii per orbem terrarum propagationem tunc finitam, ubi hic populus convertatur. Itaque hunc populum quasi reservatum iri indicat, ut, apparitionis Christi suo modo per omnia tempora testis, oculis suis videat rei christianae per orbem terrarum incrementum, gentilium principatum, consciusque fiat poenae divinitus ipsi illatae. Ita injuriae suae convicta et ecclesiae christianae victoriâ emollita, ab orbe christiano veluti parva insula circumdata gens Judaeorum a pervicaciâ suâ desistet.

---

30) De voce γενεά infra accuratius disputabitur.

31) Idem forsitan Matth. v. 22 dictum est: nisi abbreviarentur dies illi, nemo incolumis foret; ergo erunt aliqui incolumes; et Luc. 24: καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη.

Sin dixeris, miram sane ita praescientiam Christo adscribendam, quippe qui illa omnia vaticinatus sit, quae magna ex parte jam evenerunt revera, quae vero modo naturali aut rationali illo tempore nemo poterat conjecturâ assequi, respondeo: num Paulus major est Christo? Paulus vero velis nolis Rom. XI, 25 asseverat, primum fore tempus *τῆς ἀποβολῆς τοῦ ἰσραήλ* (XI, 15) quae cessura sit in *καταλλαγὴν τοῦ κόσμου*, et *σωτηρίαν τοῖς ἔθνεσι* (v. 11); itaque per tempus *τῆς ἀποβολῆς τοῦ ἰσραήλ* pagani sunt *ἡ ἐκλογή* anteposita a Deo eoque principatum regni tenens divini. Postquam vero *τὸ πλήρωμά τῶν ἐθνῶν* in Regnum Christi intraverit, i. e. sub finem historiae *ἡ πώρωσις* illa Jsraelitarum utique superstitum et *ἡ ἀποβολή* finietur *καὶ οὕτω πᾶς ἰσραὴλ σωθήσεται* (XI, 26.) cf. Luc. XXV, 24. — Unde vero Paulo talia venerunt et Lucae? A Christo sine dubio ejusque verbis; quare ausim dicere, antiquissimam ecclesiam v. 34 vocem *γενεάν* non intellexisse de alia re, quam de gente Judaeorum,[32]) et nostro loco, quocum conferendus Luc. XXI v. 24, et Matth. XXIII, 39, fontem reperio doctrinae illius veteri Ecclesiae haud sane ignotae et insolitae, Judaeorum gentem adservatum iri usque ad historiae Christianae finem, tunc vero et ipsam grato laetoque animo Christum amplexuram et gratiae ejus participem futuram.[33])

Quod si apostoli ipsi eorumque discipuli, e. g. Marcus et Lucas vocem *γενεάν* de ipsâ illâ aetate dictam putassent, Christi reditus ad victoriam externam quoque non potuisset non ab Ecclesiâ primaevâ immediate post Hierosolymorum excidium expectari: non solum sperare potuisset, Christum non cunctaturum, sed docere debuisset, eum hâc ipsâ aetate rediturum. At ostendant adversarii nobis documenta, quibus hoc probetur. Nullum sane exstat. Si Christi verbo jussi parusiam illam exspectassent et docuissent Christiani intra triginta plus minus

32) Vulg. vertit „generatio;“ bene sane, nam generatio non est „aetas,“ uti Erasmus mendose emendavit, sed = *γέννημα*.

33) Bene Tertullianus de res. carn. c. 22. dicit: (Christus) ordinem temporum primo Judaicorum usque ad excidium Hierusalem, dehinc communium usque ad conclusionem seculi dirigit. Nam posteaquam edixit: et tunc erit Hierusalem conculcatui nationibus, donec adimpleantur tempora nationum allegendarum scilicet a Deo et congregandarum cum reliquiis Israëlis, etc.

annorum spatium eventuram, frustratâ sane post Hierosolyma diruta spe suâ, Ecclesia non potuisset non percuti perturbatione et confusione maximâ; et cum Christus ipso eventu vaticinii falsi convictus esset, deficere sane alii ab eo debuissent, alii eum talia vaticinatum esse, impense negare adeoque suspicionem talis rei reprimere. At horum omnium nihil omnino veteris Ecclesiae historia tradit, quippe quae ne vestigium quidem habeat, urbis sanctae interitum talem crisin movisse. Paulus non solum 2 Thess. II, 2 increpat eos, qui asseverent, *ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Κυρίου*, sed etiam loco supra citato c. XI ita Ecclesiae decursum delineat, ut gentem Judaeam suae aetatis ad fidem christianam non accessuram, aperte confiteatur. Et II Petr. III, 3. 4 cll. 9. de empaectis quidem loquitur, qui dicant: ubinam tandem est promissio illa de parusiâ ipsius? Sed tantum abest, ut cum Hierosolymorum excidio empaectae illi parusiam expectarint, ut epistolae auctor eos erroris convictos esse confidat, demonstrando: non tardum esse Dominum, non cunctantem et obliviscentem promissionis, sed operantem assidue et per opus suum — haud sane perfunctorie obeundum — festinantem. *Μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς, μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι* (cf. Matth. XXIV, 14.). Lucam v. 32 non voluisse vocem *γενεὰν* intelligi ita, uti volunt adversarii, luce clarius apparet ex ipsius v. 24. *καὶ Ἱερουσαλὴμ*, ait, *ἔσται πατουμένη*: non dicit *πατηθήσεται*, conculcabitur semel, sed diutius manebit conculcata.

Quam diu? *ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν*. Non dicit *ὁ καιρός* sed *οἱ καιροί*, quo clarissime indicat, tempus longius post urbem eversam fore, priusquam Dominus redeat. Eundem Lucam postea quoque v. 25. 26. 28. 31 ea, quae post urbis eversionem i. e. post illam aetatem ventura sint, non uno oculi ictu absolvi, sed pedetentim ea progredi docere, supra monstratum.[34]) Eâdem

34) Animadverte, quibus ii circumveniantur angustiis, qui e. g. cum Straussio Marci et Matthaei evangelium longo post Hierosolyma tempore conscriptum conjiciant, praecipue vero Lucae librum propter vividam v. 20 et 24. imaginem: nihilosecius autem vocem *γενεὰν* ab auctoribus tam sero tempore viventibus, cum dudum aetas Christi praeteriisset, positam esse sensu „aetatis" autument. — Quidni mutârunt vocem illam post eventum, cum Christum non venisse eluceret? Num repente eorundem scrupulositas auxilio aderit, quorum arbitrium, aut paene ludibrium ubique obvium viri isti detexisse

vero plane ratione Matth. quoque sese habet et Marcus. Vidimus enim, apostolos v. 3 quaestionem moventes reverâ spei indulsisse, cum Hierosolymorum interitu Christi parusiam conjunctam fore. Jam vero, si Christus Matth. v. 34 de aetate illâ, non de gente Judaeorum locutus est, versu 34 opinioni discipulorum adstipulatur. Sed v. 4—14 totus in eo fuerat, ut spem ipsorum procrastinaret; et post v. 22 i. e. Hierosolymorum finem eadem recurrit admonitio, ne illo quoque tempore cautioni anteferant desiderandae parusiae suae cupiditatem. Aliud argumentum inest Mtth. versui 29, si explicationem supra propositam admiseris. Quomodo denique Christus ipse tam aperte sibimet ipse contradicet, ut uno quasi spiritu parusiam suam tantâ curâ procrastinet, v. 34 rursus mire ita acceleret, ut Evangelii operi (v. 14) locus non relinquatur? Quod difficile sane est creditu, cum praesertim statim addat, (v. 36 Mc. 32.) diem illam et horam sibi non esse notam. Qui tam ingenue ignorantiam confitetur, quomodo temere scientiae speciem v. 34 movere poterat, quam errorem potius esse post triginta aut quadraginta annos apparere debebat? An Christus unam tantam aetatem fidem sibi habere

---

sibi videntur? Sed fac, fuerint auctores Evangeliorum viri veri amantes; accipiamus utiliter confessionem adversariis sane incommodam: quomodo potuerunt Christo fidem habere, si vocem γενεὰν ita intellexerunt, ut Christo fidem non esse habendam eluceret? Straussius nimis avide duplici virgâ Evangelium caedere tentans alteram earum sibimet ipsi colligavit. Si institerit voci γενεᾷ sensu aetatis interpretandae, ei aut dicendum erit, evangelia nostra conscripta esse eo tempore, quo Christum eâdem aetate rediturum etiamtunc sperari posset, i. e. ante Hierosolymorum finem; et sic fidei eorum historicae bene sane consultum foret; aut Evangelistas longo quidem post Hierosolyma diruta tempora scripsisse, sed tam anxie eos verbis Christi inhaesisse, ut etiam sic habeas laudabilem sane fidem historicam. Quibus angustiis sese irretitum sentiens Straussius mire huc illuc sese versat et torquet (L. J. ed. 1. II, 365 sqq.) denique nil reperiens, quod ponat, nisi verba confusionis plena. Editione tertiâ satius duxit, de hac re tacere, cf. ed. 1. T. II, 365. cum ed. 3. T. II, 390; quod sane mirum videtur, praecipue quod in nostrâ sectione elatiori voce loquens et triumphi plenâ, mulierem vero i. e. fidem christianam tacere jubens in Ecclesiâ, nec silentium ipse polliceri videatur de rebus haud sane exiguis quanquam ipsi molestis, nec verba, sed disputationem per argumenta progredientem. Duplici sane circumventus cuniculo exitum unum habet, retractando nempe opinionem temerariâ cupiditate susceptam, vocem γενεὰν nostro loco significare aetatem.

volebat? eamque non suâmet ipsius causâ, sed messiani regni spe commotam? Certam sane de reditu suo post unam aetatem eventuro persuasionem habere non poterat: de falso enim nulla datur persuasio firma. Quare idem, qui paulo post v. 36 scientiae suae fines candide agnoscit, eos haud sane prave transgressus erit v. 34, longe minime vero errorem quasi juramento affirmare poterat. Ejus modi petulantia et vanitas in Celsi Christum fictitium et Straussii cadere potest, non in eum, qui vixit, quem evangelia describunt.

Quare omnes reor concessuros, vocem *γενεά*, si eam vertas: aetas, multas easque plane insuperabiles ciere difficultates, contextum vero et orationis progressum flagitare significationem gentis: nempe Judaeorum,*) non Christianorum, quod Origeni placuit et Chrysostomo aliisque. Nam quamquam sensus aptus esse possit: et Ecclesiam (v. 34) suam invictam fore, donec omnia impleta sint (Matth. XVI, 18), et Verba sua, ecclesiae quippe robur, non interitura (v. 35.): tamen sic desideraretur Judaeorum expectanda sane mentio; praeterea vero Christum dicere non oportebat: *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη*, sed *ἡ γενεὰ ὑμῶν* seu *ὑμετέρα*.[35])

Jam vero audio dicentes: „Recte quidem: nam sensum pla-

---

*) Jam videat Straussius, ne incaute et leviter ab eo dicta videantur, quae exstant in ejus libro Leben Jesu II, 373 ed. 3.: selbst die Möglichkeit, *γενεά* auf eine der angegebenen Arten, (e. g. ita, ut significet genus, gentem) zu deuten, verschwindet, wenn man erwägt, — — dass in einen Zusammenhang, welcher die Zukunft des Messias durch Zeichen zu bestimmen sucht, ein Ausspruch übel passen würde, der statt über den Eintritt jener Katastrophe etwas auszusagen, vielmehr von der Dauer des jüdischen Volkes oder der christlichen Gemeinde handelte, von welcher gar nicht die Rede war.

35) V. V. R. Stier jam Matth. v. 32. 33. parall. de populo Judaeorum loqui putat. Ficum enim siccam et veluti hyeme torpentem esse ficum illam a Christo symbolice diris devotam Matth. XXI, 19, i. e. gentem Judaeorum. Quae ubi post longam hyemem, qua mortua quasi vitam trahebat, revirescere coeperit, prope instare parusiam. Ingeniosius quam verius, arbitror. Lucas nil habet de ficû diris devotâ: quare ipse vix ita parabolam nostram intellexit. Deinde transitus ad gentem Judaeam esset subitus, indicio nullo indicatus. Nil enim habes de *συκῇ κατηραμένῃ* aut *ξηρᾷ*, nec vocem demonstrativam *αὕτη* (ut v. 34).

num et contextui ab utrâque parte consonum, denique Christo et principiis ab eo propositis dignum ita demum elici patet, ut γενεάν vertas hominum genus seu gentem. Sed an vox γενεὰ hunc sensum admittat, valde dubium videtur, cum interpretum magna multitudo id plane vetet."

Quare operae pretium esse duximus, disputationis fini excursum adjicere de voce γενεά. Nam ut ingenue, quod sentio, fatear, superstitione quâdam exegeticâ aut pavore quodam vano multos in hac re captos esse, re accuratius inspectâ mihi vidisse videor.

Vox γενεά non unam habet significationem, sed plures, quas et veterum multi (Schol. ad Hom. Jl. Δ, 60. Apoll. Lex. p. 203. Etymologic. *M.* 225,31. Phavorinus 409,44. Zonar. 1,427.) et recentiorum (V. Suiceri Thesaurus s. v. γενεά — Stephani Thes. ed. Hase et Dindorf.; Raphel. Annotat. in S. Script. ex Herodoto collect. 1731. ad Matth. I, 17. p. 118. 119. ad Act. XIV, 16. p. 364. Annot. ex Xenoph. 1720. p. 2. ex Polyb. et Arriano, 1715. p. 1, sq. 585. Homer. Jl. ed. Spitzner Vol. I, 3. Excurs. ad E, 270. Loesner, observat. ad N. T. e Philone Alex. 1777. p. 1. 2.) tractârunt. Sed parum inter sese consentiunt et quoad numerum earum, et quoad alius ex aliâ derivationem. Schol. Homer. l. c. ita numerat: ἡλικία, εὐγένεια, ἔκγονοι, πατρίς, χρόνος ὡρισμένος, φύσις, ἐνιαυτὸς παρὰ τοῖς νεωτέροις. Etymol. M. ita: τὸ πᾶν ἀνθρώπων γένος, εὐγένεια, ἡλικία, πρόγονοι, ἔκγονοι, διάστημα χρόνου τῶν μὴ κατ' αὐτὸ βεβιωκότων. Spitzner, qui singulari diligentiâ vocem nostram cum affinibus (γένος, γενέθλη) tractat, hunc ponit ordinem et numerum: 1. genus et natales, οὔνομα καὶ γενεή. 2. patria. 3. propago, necessarii. Inde et nonnunquam = εὐγένεια, et familiae typus (αὐτῷ γὰρ γενεὴν ἄγχιστα ἐῴκει (Hom.) germ. ins Geschlecht sehen.) — 4. Poëtae posteriores a sobole ad ipsum partum et genituram γενεήν transtulerunt. Homerus pro partu habet γενετή. 5. genera populorum vel animalium, γένη, Arten, ideo etiam idem quod indoles, natura (φύσις Schol. Hom.) 6. Sexto denique et ultimo loco ponit significationem: aequalium seu eorum, qui aetate sunt pares; et inde „aetatis."

Magna sane est familia verborum affinium, quae omnia de

radice *γένω* succreverunt. Nomino *γένος*, *γενεή*, *γενετή*, *γενέθλη*, *γένεθλον*, *γένεσις*, *γέννα*, *γόνος*, *γονή*. Quorum verborum complura vim habent similem, simul tamen gaudent quâdam significatione, ad ipsa potissimum pertinente, reliquis non pariter propriâ. E. g., *γένος* potissimum significat genus, i. e. seu indolem *εἶδος*, Art, *φύσιν*, seu stirpem, et generantem et generatam; seu sexum; nunquam patriam. *Γενεὰ* rursus significat stirpem, prolem et hominum genus; sed nunquam sexum; nonnunquam vero patriam, (Jl. *Υ*, 390 Apoll. Argon *Δ*, 1212) et saepius quam *γένος* homines eodem temporis spatio viventes, adeoque tempus, aevum seu aetatem, quod in vocem *γένος* non pariter cadit, quanquam etiam reperias *γένος χρύσεον*, *ἀργύρεον*, i. e. aetas aurea, et argentea, *γένει ὕστερος*.[36]) Sed quanquam *γένος* et *γενεά* non plane sint eadem, multas tamen significationes habent communes, sicut *εἶδος* et *ἰδέα*. *Γέννα* autem, vox vetustissima, et de stirpe et genere, et sexu usurpatur; de tempore et indole quoque, sed rarius. *Γενετή* peculiarem habet nativitatis significationem et ortus. *Γενέθλη* quoque, sicut *φυτλή* a *φυή* partum significat et generationem; rarius tempus quoddam (*ἐφ' ἡμετέρῃ γενέθλῃ*) seu aetatem; sexum vero nunquam, quorum neutrum convenit voci *Γενετή*. Sed *Γενέθλη* etiam pro patria sumitur, et sobole; nonnunquam pro genere i. e. Art, quae est vis vocis *γένεθλον*. *Γένεσις* ante omnia ortum partumque (das Entstehen) significat et id, quod ortum est: deinde peculiarem habet sibi nativitatis sensum, seu positionis stellarum tempore nativitatis, ita ut idem valeat atque *εἱμαρμένη*.[37]) *Γόνος* denique et *γονή* praeter alia significant etiam ortum et nativitatem; semen generans actum generationis et prolem generatam; *γονή* nonnunquam etiam seculum seu aevum. (De quibus omnibus exempla habes e scriptoribus profanis excerpta in Steph. Thes. ed. Hase et Dindorf: Vol. 2. fasc. 2. 559. s. v. *γενεά*; p. 574. s. v. *γένος*; p. 568. s. v. *γέννα*; p. 566 *γενετή*; *γενέθλη* — *ον*, p. 560. 562; *γένεσις* p. 565; *γόνος* et *γονή* fasc. 3, 710—13 et 717.)

---

36) cf. V. D. Nitzsch, ad Odyss. *Γ*, 245.

37) *Γενέθλια* et *γενέσια* tempus seu diem nativitatis significant, illud vivorum, hoc jam defunctorum.

Sed jam accuratius videndum de voce γενεά. Quodsi significationum hujus vocis genealogiam quasi quaesiveris,

I. Exeundum mihi videtur a significatione ortus, nativitatis. Γενεά enim sicuti γένος derivatur a γένω, et idem est ac τὸ γενέσθαι, i. e. das Entstehen, Werden, das Factum der Entstehung, cujus vis praecipue inest voci γένεσις, γενετή. Cui significationi proximum est illud Polybii VI, 19, 2 ἀπὸ γενεᾶς et ἐκ γενεῆς apud Poëtas post Homerum usitatum sensu: inde ab ortu seu origine.

Sed cum τὸ γενέσθαι (das Factum der Entstehung) evenire non possit, quin temporis et loci alicujus certi fines ineat, vox γενεὰ asciscit ortûs et tempus et locum (et sic est, quod Germ. vocant Entstehungspunct). Quorum prius habes Jl. H, 153: γενεῇ δὲ νεώτατος ἔσκον ἁπάντων. B, 707: ὁπλότερος γενεῇ i. e. natu posterior. Alterum vero obvium est e. g. Jl. Y, 390: γενεὴ δέ τοί ἐστ' ἐπὶ λίμνῃ Γυγαίῃ, ὅθι τοι τέμενος πατρώϊόν ἐστι. Hoc enim loco γενεά est idem atque originis locus, seu patria, seu stirps, quid enim potius sit statuendum, indefinitum manet. Jl. Z, 151. Sic LXX habent Num. X, 30: πατρίδα καὶ γενεάν. Prov. XXII, 4.

II. Quum vero omnis ortus involvat et aliquid seu aliquem, unde fiat origo, et aliquid, quod oriatur, vox γενεά, primitus quasi neutra, dirimitur in significationem activam et passivam. Illud est prosapia, seu stirps, unde quis oritur, quae notio affinis est supra notatae: prosapia enim locus est et quasi fons, unde quisquis originem ducit. Hoc vero est proles et progenies.

a) γενεά = prosapia. Locus, unde homines nascuntur, sunt vivi homines, qui generant, aut saltem, unde fit nativitas; nam fatendum est, sensum activum non tam distincte in voce γενεά prodire, quam e. g. in voce γενέτης, γενετήρ, γενέτωρ. Γενεά enim manet vox collectiva. Ceterum prosapiae sensum vox γενεά in locis permultis praebet. Jl. Z, 211: ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι; Y, 241. Ψ, 471: Αἰτωλὸς γενεήν. Z, 145: Τυδείδη μεγάθυμε, τίη γενεὴν ἐρεείνεις; cf. 151. Eodem pertinet Jl. Λ, 785: Τέκνον ἐμὸν, γενεῇ μὲν ὑπέρτερός ἐστιν Ἀχιλλεὺς, πρεσβύτερος δὲ σὺ ἔσσι, et Jl. K, 239. I, 161. Δ, 60. Jam propior fit expresse γενεά sensui activo, ubi restringitur ad unum; Φ, 187: αὐτὰρ ἐγὼ γενεὴν μεγάλου Διὸς εὔχομαι εἶναι. — Eodem pertinere

potest Num. X, 30. et Ps. XLIX, 20. LXX: *εἰσελεύσεται ἕως γενεᾶς πατέρων αὐτοῦ*, quod sic intelligo: intrat (sc. in locum) usque dum assequatur patrum prosapiam, i. e. Hadem habet domicilium, certo eum manens.

b) *γενεά* proles, seu progenies, i. q. *γόνος, ἔκγονος* sed rursus sensu plurali. Jl. *Υ*, 306: *ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων*. (Plurima alia exempla afferunt Suicer et Steph. Thes.) cf. Polyb. 20, 6, 6, Dionys. H. A. R. II, 15. Versio LXX hoc sensu saepissime usurpat vocem *γενεά*. Lev. XXIII, 43: *ὅπως ἴδωσιν αἱ γενεαὶ ὑμῶν* i. e. progenies vestra (eure Nachkommen). Lev. XXII, 3: *εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν* omnibus posteris vestris. Gen. XVII, 7. *εἰς τὰς γενεὰς αὐτῶν* idem est ac *τὸ σπέρμα*; pari modo v. 9. 12: *πᾶν τὸ ἀρσενικὸν εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν*. Solennis est in lege Mosaicâ locutio: *τοῦτο νόμιμον εἰς τὸν αἰῶνα εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν* Lev. III, 17. XXIII, 14. 31, 43. Simili plane modo haec vox usurpatur Ex. XII, 14. 17. XVI, 32. 33. Num. IX, 10. XV, 14. Ps. LXXIII, 15. CXII, 2. Jos. XXII, 28. Inde manasse videtur illud tritissimum: *γενεαὶ γενεῶν*, qua locutione significationem activam et passivam habes conjunctas. Nam *γενεαὶ* sunt posteri, *γενεῶν*, gignendi casu positum significat proavos seu generantes Huc refero: Ps. LXI, 6. *ἕως ἡμέρας γενεᾶς καὶ γενεᾶς*; Deut. XXXII, 7. Joel II, 2, quibus locis quum tempus additum sit, *ἔτη, ἡμέρα*, voci *γενεά* remanebit sane significatio posterorum, qui illo tempore vivent. Omnino vero phrasi *γενεῶν γενεαί* primitus gignendi et prolis sensum inesse, genitivus indicare videtur. Temporis notio autem nequaquam immeditate verbo nostro inest; sed loca allegata ostendunt, ubi locutio sit plena, ibi addi temporis significationem. Quum vero *γενεά* sit proles, posteri, *αἱ γενεαί* significat posterorum seriem, generatorum seu prognatorum, qui et ipsi sunt generantes *διαδοχήν*, Matth. I, 17. et sic habes novam quandam significationem;

III. *Γενεά* involvit et generantes et generatos. Quum inde ab initio, i. e. primae verbi *γενεά* significationi et id, unde fit ortus, et id quod oritur, *δυνάμει* quasi insit, quanquam abstracto modo et indefinito: jam modo concreto eadem unitas aut summa recurrit. Si progeniem, seu posteritatem omnem uno quasi obtutu conjungis, habes sane stirpem aut gentem universam. Jtidem

si prosapiam respicis omnem, rursus habes stirpem aut gentem, sed non futuri sed praeteriti temporis. Rursus si utraque unitate illâ complecteris, quae et inest primae vocis *γενεά* significationi, et recurrere debet, cum per generantium et generatorum series vitae quaedam identitas seu communio descendat, rursus habes stirpem seu gentem, jam vero nec praeteritam solum nec futuram, sed utrumque tempus complectentem: habes jam non relativam i. e. alicujus temporis, sed absolutam, gentis aut stirpis alicujus significationem, et parentes et filios et consanguineos omnes amplectentis. Sic *γενεά* idem est ac *φυλή*, aut *λαός*, aut *φρατρία*, et majorem enim et minorem orbem potest amplecti, sicuti stirps potest esse familia, gens, natio. Quae omnia etiam obvia sunt in voce *γένος*. Tali modo vox nostra occurrit apud Hom. Jl. *T*, 105: *πάντεσσι — (τῆς) τῶν ἀνδρῶν γενεῆς, οἵθ' αἵματος ἐξ ἐμεῦ εἰσί.* Similiter accipi possunt loci allegati Jl. *T*, 241. *Z*, 211. 145. *Ψ*, 471. *Γ*. est stirps, familia: Odyss. XVI, 117. I, 222. Dionys. H. A. R. 6, 84. (cf. Steph. Thes., qui significationem generis talibus locis inesse putat. Spitzner, l. c. p. IX.) Xen. Cyrop. I, 1, 6: *Τίς ποτε ὢν γενεὰν καὶ ποίαν τινὰ φύσιν ἔχων.* Ita Graeci dixerunt, *Κρῆς γενεάν*, *Τιτάνων γενεά*, *Περσῶν γενεά*. Soph. *Aj*. 202: *Γενεᾶς χθονίων* generis seu stirpis indigenarum. Alia exempla afferunt Stephanus et Spitzner l. c. Sed idem saepe occurrit in V. T. (LXX) et in N. T. Jerem. VII. 29: *ἀπώσατο (κύριος) τὴν γενεὰν τὴν ποιοῦσαν ταῦτα*, (Hebr. דּוֹר עֶבְרָתוֹ i. e. die Raçe, die seinen Zorn erfahren soll) *ὅτι ἐποίησαν οἱ υἱοὶ Ἰούδα τὸ πονηρὸν ἐναντίον ἐμοῦ.* Hic efficitur, *τὴν γενεάν* idem prorsus esse ac gentem Judaeorum (v. 30) et *τὸν λαὸν τοῦτον* (v. 33.). Eodem pertinere potest locus allegatus Num. X, 30. Gen. XXV, 13. *τὰ ὀνόματα τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ κατ' ὀνόματα τῶν γενεῶν αὐτοῦ.* Hic *γενεά* idem est ac *φυλή*, hebr. תּוֹלְדוֹת familiae, gentes. cf. III. Esdr. V, 37; Gen. XXXI, 3, XLIII, 7, hebr. מוֹלֶדֶת. Num. XIII, 22: *ἀπῆλθον ἕως Χεβρών, καὶ ἐκεῖ Ἀχιμάν, καὶ Σεσσὶ καὶ Θελαμί, γενεαὶ Ἐνάχ* (יְלִידֵי עֲנָק) posteri seu gens Enac, v. 28 colliguntur nomine *γενεὰ ἐνάχ*, sicuti בְּנֵי יִשְׂרָאֵל i. e. Jacobi posteritas idem est ac Gens Hebraeorum. Jerem. VIII, 3. *πᾶσι τοῖς καταλοίποις, τοῖς καταλειφθεῖσιν ἀπὸ τῆς γενεᾶς ἐκείνης*; textus hebr. habet: מִשְׁפָּחָה, itaque *γενεά*, sicut Lev. XXV, 41 vertenda: genus, seu stirps et

gens. Lev. XX, 18: ἐξολοθρευθήσονται ἀμφότεροι ἐκ τῆς γενεᾶς αὐτῶν i. e. ex populo suo, nam textu hebr. legitur מִקֶּרֶב עַמָּם. Conferri quoque potest Ps. XCV, 10: τεσσαράκοντα ἔτη προςώχθισα τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ (Hebr. III, 10.); quanquam enim pertinere potest ad aetatem unam, eorum dico, qui in deserto emori debebant, tamen animadvertendum, significationem ejusdem rei alteram addi: עַם תֹּעֵי לֵבָב i. e. erratici cordis populus. Eodem pertinere videtur Luc. XVII, 25: πρῶτον δὲ δεῖ αὐτὸν πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης. Christus enim non omnes sui temporis homines paganos aeque ac Judaeos, seu aevum suum voluit notare, sed Judaeos. Nullibi enim docet, ab Ethnicis se repudiatum iri, sed plane contrarium habes Matth. XXI, 43. al. Deinde, si interficeretur, ab aequalibus se interficiendum ita manifestum erat, ut hoc dicere plane fuisset superfluum. Quare ab hac gente seu natione communi quasi decreto se repudiatum iri ante parusiam suam (v. 24) dicit. Pari modo Luc. VII, 31. Matth. XI, 16: Τίνι δὲ ὁμοιώσω τὴν γενεὰν ταύτην non respicit aevum suum, nam nec de Paganis loqui potest, sed de Judaeis; nec dicere vult, Judaeorum proavos, si positi fuissent posterorum loco, futuros fuisse his meliores. Nusquam enim tale quid prodidit Christus, sed plane contrarium habes Matth, XXIII, 29—32. ὥστε μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς, ὅτι υἱοί ἐστε τῶν φονευσάντων τοὺς προφήτας. Καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν; et v. 33 eos vocat et serpentes viperarum progeniem. Plane eadem ratio est loci Matth. XII, 39. 41. 42. 45. Luc. XI, 29. 30. 31. 32, ubi quater habes vocem γενεάν. Judaeis hic opponuntur Gentiles, Ninivitae et regina meridiei: quare ἡ γενεὰ αὕτη non potest non gentem Judaeorum significare. Nec dicit, priores judaicae gentis aetates seu proavos ipsorum surrecturos contra ipsos, (quod esset sane contra hanc aetatem et adversus aequales) sed Gentiles contra hanc gentem surgent, ut recte vidit Schottius aliique. Significatio gentis acuitur in voce γενεά, si usurpatur de gente aliquâ, quae est una inter alias. Sic enim est una et singularis, ut differat ab aliis, et peculiari quâdam naturâ insignis sit seu indole. Quare γενεά non solum universim denotat gentem seu genus, sed notae specificae et singularis genus quoddam seu gentem. Praetereâ γενεά non solum eorum orbem significat, qui sanguinis, sed etiam qui spiritûs

quodam vinculo aut naturae indolisque similitudine conjuncti sunt. Hûc referendi sunt rursus loci multi: LXX. Ps XIV, 5: *ὁ θεὸς ἐν γενεᾷ δικαίᾳ.* XXIV, 6. *αὕτη ἡ γενεὰ ζητούντων αὐτῶν.* XII, 7: *διατηρήσεις ἡμᾶς ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης* sc. *πονηρᾶς.* LXXIII, 15. *τῇ γενεᾷ τῶν υἱῶν σου* i. e. filiorum dei familiae. CXII, 2. *Γενεὰ εὐθέων εὐλογηθήσεται.* Jes. LXI, 3. *κληθήσονται γενεαὶ δικαιοσύνης.* Sophonj. III, 9. Deut. XXXII, 5: *γενεὰ σκολιὰ καὶ διεστραμμένη* cf. v. 20. Act. II, 40: *σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς σκολιᾶς ταύτης* Phil. II, 15: *τέκνα θεοῦ ἀμώμητα ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης.* Matth. XVII, 17: *ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη!* parall. Mc. IX, 19. Lc. IX, 41.; Matth. XVI, 4: *Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς σημεῖον ἐπιζητεῖ* parall. Mc. VIII, 12. Mc. VIII, 38: *ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ μοιχαλίδι καὶ ἁμαρτωλῷ*, quibus comparari possunt Matth. III, 7. Matth. XXIII, 33. *γεννήματα ἐχιδνῶν.* Luc. XVI, 8: *οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου φρονιμώτεροι ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν εἰσι.* Hic quoque *γενεά* plane idem esse ac genus, (Geschlecht, Art), sponte apparet. Cujus significationis exempla affert Spitzner, ex aliis scriptoribus petita l. c. Ex Homero conferri potest. Jl. *Ζ*, 146. 149.: *Οἵη περ φύλλων γενεὴ τοιήδε καὶ ἀνδρῶν*, et derivata quaedam verba, ut *γενεῆθεν*, *γενεαλογεῖν.* Herod. II. 146.

Praeterea vox *γενεά* non eos solum, qui sanguinis stirpisque aut indolis, sed etiam qui temporis seu aetatis vinculo sunt conjuncti, denotat. Sic est simul viventium quasi collectio et unitas. Quâ ratione si vox *γενεά* respicit tempus praeteritum, aut tempora praeterita, habes hominum priorum aetates (die frühern Generationen): si futurum, posterorum (die künftigen Geschlechter): si praesens, habes aequales. Praeterea cum prognatorum series, qui et ipsi rursus generant, simul involvat temporis decursum, *αἱ γενεαί* etiam significant temporis longum indefinitumque spatium. Quod incertum tempus et indefinitum secatur et definitur, si animadvertas, non uno tenore defluere genus humanum, sed dividi ejus decursum in spatia certa, eaque sibi paria, quum certâ quâdam lege generantibus succedant generati et universim et quoad generationis officium. Ita generis humani seu populi alicujus vita dirimitur in paria spatia, quae et

ipsa *γενεαί* vocantur (Generationen). Sed jam ad hanc quoque significationum familiam, quibus vario modo temporis notio inest, exempla afferamus.

a) Generantium et generatorum seriem ita ut temporis plane indefiniti notio ei insit vox *γενεὰ* significat, vario modo duplicata. Ps. XLV, 17. CXLV, 13, *ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ*; Ps. LXXII, 5, Jesaj. XXXIV, 17, *γενεὰς γενεῶν*. CII, 25: *ἐν γενεᾷ γενεῶν τὰ ἔτη σου*. Jes. LVIII, 12. LX, 15. Ex. III, 15. *γενεῶν γενεαῖς μνημόσυνον*. Joel III, 20. (text. heb. IV, 20.) Luc. I, 50. Jes. LI, 8: *εἰς γενεὰς γενεῶν*. Dan III, 33. IV, 31. Ps. XLIX, 11. *εἰς γενεὰν καὶ γενεάν*. C, 5: *ἕως γενεᾶς καὶ γενεᾶς*. Ps. X, 6: *ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενενάν*, quod idem numero plurali habes Ex. XVII, 16. *κατὰ γενεὰν καὶ γενεάν* Esth. IX, 27. Jesaj. XIII, 20. habet: *διὰ πολλῶν γενεῶν*. Similiter Luc. I, 48 *ἀπὸ τοῦ νῦν μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί*. Eph. III, 21. Col. I, 26. In horum locorum plurimis *γενεά* nondum est certum temporis spatium; immo, non nude tempus aut tempora denotat, sed remanet vis primitiva, hominum series longa.

b) Rursus hominum simul viventium, sibimet ipsis aequalium, et sic a reliquis distinctorum notionem haec habent loca: Num. XXXII, 13 de aevi cujusdam praeteriti hominibus loquitur: *ἕως ἐξανηλώθη πᾶσα ἡ γενεά* (Israelitarum in deserto.) cf. Ps. XCV, 10. Judic. II, 10); — Matth. XXIII, 36. Lc. XI, 50. 51 de praesentis sic: *ἵνα ἐκζητηθῇ τὸ αἷμα πάντων τῶν προφητῶν, τὸ ἐκχυνόμενον ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης*. *Τῇ γενεᾷ ταύτῃ* per verba *ἀπὸ καταβολῆς κόσμου* et *πατέρες ὑμῶν* v. 48. oppositae sunt aetates gentis Judaicae impunes, quasi *αἱ γενεαὶ παρῳχημέναι* Act. XIV, 16, *ἀρχαῖαι*, Sir. II, 10. Act. XV, 21.). Aetatem vero tunc viventem increpat tanquam consummantem mensuram improbitatis aetatum hujus gentis priorum, Matth. XXIII, 32. quare Christus huic aetati annunciat supplicium. De futuri aevi aut aetatum futurarum hominibus vocem nostram usurpari, satis commonstratum. (cf. *γενεὰ ἐρχομένη* Ps. XXII, 30. LXXI, 18. Gen. IX, 12. Jes. XXXIV, 10. LXI, 4. XXIV, 22.)

c) Aliis vero nonnullis locis hominum significatio recedere et temporis, quo quidam juncti sunt, praevalere incipit, ita ut vis vocis nostrae magis sit: hominum aevum, seu aetas, quam aetatis

6*

alicujus **homines**. Huc referre poteris Act. XIV, 16. XV, 21. Eph. III, 5, *ἑτέραις γενεαῖς — νῦν δὲ*. Act. XIII, 36: *Δαβὶδ, ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῷ θεῷ* (aevo suo). Genes. VI, 9. VII, 1.

β) Ultimam denique, quam diximus, *γενεᾶς* significationem, certius temporis spatium indicantem, cujus mensura esse solet tempus floris eorum, qui generant usque ad posterorum successionem, deprehendes his locis: Deut. XXIII, 3. 8· *ἕως δεκάτης γενεᾶς — οἱ υἱοὶ ἐν τῇ τρίτῃ γενεᾷ*. Gen. XV, 16: *τετάρτῃ γενεᾷ*.[38]) Job. XLII, 16: *εἶδε τοὺς υἱοὺς καὶ τοὺς υἱοὺς τῶν υἱῶν τετάρτην γενεάν* (Epist. Jerem. v. 3.), in quo loco resurgit prolis longa et larga series, utique et ipsa cum longaevâ senectâ pertinens ad Jobi benedictionem. Ceterum ubi *γενεά* nude **temporis** seu definiti seu indefiniti vim habet, (cujus exemplum certum in N. T. habes unum, Act. XIII, 36), hoc derivandum erit aut a metonymia contenti pro continente, ut Grammatici loquuntur, aut ab elisione vocis tempus denotantis, (e. g, *ἔτη, καιροὶ*) quam revera positam reperis locis supra allegatis: Ps. LXI, 6. Deut. XXXII, 7. Joel. II, 2.[39])

En habes vocis nostrae genealogiam. Neminem credo negaturum, temporis notionem **non esse primitivam**, quod praeter alia dicere vetamur verbi nostri derivatione a *γένω* et cognatione cum satis largâ illâ verborum familiâ quorum nonnulla i. e. *γένος, γέννα, γενέθλη, γονή* et ipsa primitus spectant ad ortum, stirpem etc., posthac vero itidem notionem aetatis interjacente simili notionum numero asciscunt.[40]) Illud quoque monstratum, temporis

38) Plerumque aevi spatium triginta plus minus annos amplecti constat. Medici Graeci aliam afferunt computationem cf. Steph. Thes., et septem annorum spatium vocant *γενεάν*. Hebraei rursus, si Gen. XV, 16 contuleris cum v. 13. et Ex. XII, 40, quondam aetatem centum annorum seriem vocasse videntur.

39) Restat locus Jes. 53, 8. Act. VIII, 33. *τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται;* Patrum alii hic repererunt Christi originem divinum aut nativitatem mirabilem (de quo multa habes in Suiceri Thes. l. c.) **Wahl** Clavis N. T. s. v. *γενεά* proponit: quis malitiam hominum aetate ipsius viventium exponere potest? Presse utique et parum congrue loco Matth. XXIII, 32. Potest sane haec vox referri aut ad nativitatem et ortum, aut ad progeniem, sed Act. XIII, 36 potest suadere hunc sensum: vitae ejus spatium quis enarrabit?

40) Temporis notio forsitan primitiva est in דּוֹר, a דָּרַר circumvolvi cf. *περίοδος*, quanquam et דּוֹר derivari possit a דָּרַר habitare, et significet castra

notionem **minime** esse **unicam**, sed unam de multis, in N. T. autem, cujus omnes, reor, locos supra habes collectos, temporis significationem adeo **rarius** occurrere, quam ceteras.

Jam judicet lector ingenuus, quanti aestimanda sint Straussii verba: (L. J. ed. 1. II, 351. ed. 3. II, 373.) — selbst die Möglichkeit, *γενεά* auf eine der angegebenen Arten (e. g. ita, ut significet genus, stirpem seu gentem) zu deuten, verschwindet, wenn man erwägt, — „dass in Verbindung mit einem Verbum der Zeit und ohne sonstige Bestimmung *γενεά* unmöglich eine andre, als seine „ursprüngliche" Bedeutung: Generation, Zeitalter haben kann."[41]) Quem virum incautius hic ingressum, minus miror,

Lager, Wohnung; deinde familiam et progeniem, ut *οἶκος ἰσραήλ* = *λαός*, deinde stirpem simul viventem, et aetatem.

41) De verbis „seine ursprüngliche Bedeutung," imperiosius quam doctius positis nil addendum. Illud „in Verbindung mit einem Verbum der Zeit", jam versu sequente refellitur; coelum enim et terra non sunt tempus et tamen *παρελεύσεται*. Denique verba: „ohne sonstige Bestimmung" vix intelligi possunt; adest enim *ἡ γενεὰ αὕτη*, sicut Luc. XVII, 25. VII, 31. Matth. XII, 39. al. et Matth. XVI, 4. vox *γενεὰ* plane nuda, et sine *αὕτη* posita generis stirpisve significatione gaudet. V. D. **Stier** quoque in libro: Die Reden des Herrn 2, 569 haec habet: wenn man **so streng philologisch darauf besteht**, dass *γενεά* nur Generation bedeute, so übersieht man ganz, etc. Itaque quanquam Stier vertendum esse: „genus, gens haec" recte videt, tamen nonnisi relaxando imperio philologico hanc significationem assequendam cum multis aliis putat. Sed cum renuente philologiâ in scripturâ S. nil audendum sit, meliori sane jam conditione collocati sumus, cum philologiam habeamus plane annuentem. **Ebrardum** quoque l. c. et **Hoffmannum** (Weissagung und Erfüllung II, 279.) miror, non ausos esse, traditioni recentiorum falsae apertâ fronte contradicere. Concedunt enim et ipsi, *τὴν γενεάν* vertendam esse: aetatem — Generation. — Cum vero Christus sic diceret: omnia illa, quae modo non res ipsae sint, sed rerum futurarum signa, ante praeterlapsam hanc aetatem eventura, eadem vero non omnia evenisse pateat, medelam ita loco nostro afferre student, ut explanent: horum omnium **initia** fient hoc loco. Sed verba: *ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται* non vertenda sunt: donec omnia inchoent, sed eveniant. Sed fac, ita uti volunt, verti posse, quomodo poterat dici, quod stellae jam primo aevo cadere incipiant? Etenim hi duumviri Matth. 29 physice interpretandum putant, religionis nulla ratione habitâ. — Ceterum errorem illum nostrâ aetate apud Theologos, non philologos, frequentissimum non subito irruisse apparet, si Schottium l. c. p. 128 cum Olshausen Comm. p. 852. 899. contuleris. Schottius lubentissime largitur, effata quaedam N. T. posse intelligi de natione Judaeorum, **necessitatem** vero in dubium vocat. Olshausen vero haec ausus

quam quod Fritzschii nutum, cujus vestigia in rebus philologicis presse sequi solet, in hac re non voluit audire; Olshausenium (v. not. 41.) anteposuit. Fritzschius enim prudentior fuit et bene sibi cavit, ne diceret: versioni stirpis aut gentis obstare philologiam. Satis enim novit, hanc significationem verbi γενεᾷ a philologo negari non posse, nec primitivam ejus vim spectare ad tempus. Ad Matth. I, 17. (Comm. ad Matth. p. 33.) ubi verba sonant: πᾶσαι οὖν αἱ γενεαὶ ἀπὸ ἀβραὰμ — γενεαὶ δεκατέσσαρες et ubi exspectanda erat versio: omnes aetates — alle Generationen — dicit Fritzschius: „γενεά hic passive, qui est ab altero prognatus, declarat. Stirpem malim, quam ut progeniem cum Beza, aut generatam personam cum Grotio dicere. Equidem hic vertendum puto: quatuordecim genealogiae membra et supersedendum notione stirpis. Sed de „stirpis" significatione frequenti non dubitandum esse, Straussius a Fritzschio discere poterat: quum praesertim hic vir doctus de loco Matth. XXIV, 34 disserens p. 720. versioni Wolfii, quam nostram fecimus, philologiam obstare ne verbo quidem dicere audeat. Ausus vero sane esset, se licebat per philologiae leges; interpretationi enim suae pondus magnum adjecisset. Sed Fritzschius plane aliud affert argumentum, quo probet, Matth. XXIV, 34 vertendum esse: aevum seu aetatem. Haec enim dicit: „Quo minus ἡ γενεὰ αὕτη aut explanes hanc Judaeorum nationem, aut hanc Apostolorum familiam, loca obstant ejus modi, quibus Jesus, evangelistis auctoribus, se eo esse Messiae dignitate conspicuum tempore rediturum promittit, quo nonnulli aequalium adhuc sint superstites (cl. Matth. XVI, 28. Lc. IX, 27. Matth. XXIII, 36.)"

Sed quomodo quaeso parusia propior obstare potest? Etenim concedamus (quod minime concedendum), locis illis Christi parusiam illi ipsi aevo annunciatam esse, verba tamen nostra de Judaeis intellecta non repugnarent, quippe de alia plane re agentia, scilicet de populi Judaei continuâ usque ad parusiam existentiâ, non de parusiae tempore. Nam etiamsi Christus dixisset, nonnullos nunc viventium superstites fore parusiae finalis tempore,

---

est: der Ausdruck γενεά hat an keiner einzigen Stelle des N. T., und ebensowenig in Profanscribenten je die Bedeutung Volk. Olshausenium Straussius secutus est.

tamen Urbis excidium et Judaicae gentis stragem ante parusiam suam eventuram dixerat, id quod post aliquot annorum spatium aut citius a discipulis exspectari poterat, stragem vero illam populi Judaeorum tam funestam fore docuerat, ut fieri posse videretur nomen gentemque Judaeorum plane interire ante parusiam. Ita vero Christus sibi non constitisset, nec Judaeis, praeventis nempe exitiali judicio, locus relictus esset resipiscentiae (de qua capite priori locutus erat) et judicii vivificantis. Quare sic quoque causam idoneam Christus habere poterat, cur de gente Judaicâ non penitus abolendâ sed ad parusiae tempus vel post excidium illud asservandâ loqueretur. Quamquam concedo, Matth. XXIII, 36 satis clare innuere, non hâc ipsâ aetate eosdem resipiscentiae facultatem habituros, qui jam in eo essent, ut communi quasi populi consensu evangelium abjicerent. Sed quum haec resipiscentia parusiam debeat antecedere, sic quoque Matth. XXIII, 36 indicat parusiam suam non hac ipsa aetate eventuram esse, unde denuo sequitur, Christum non potuisse c. XXIV, 34 huic aevo parusiam polliceri. Quare mirandum, quod Fritzschius hunc locum (XXIII, 36) allegaverit, quippe adversantem opinioni ipsius, non suffragantem; quod et Straussius tacendo videtur agnoscere.[42]) Sed etiam locum Matth. XVI, 28. (cui Lc. IX, 27. Mc. IX, 1 sunt paralleli) parusiam Christi finalem illo ipso aevo exspectandam docere, prorsus negandum. Si qui cum Straussio evangelia nostra tempori adsignant post praeterlapsam eorum aetatem, qui Christo aequales erant, tempori, quo tale Christi vaticinium falsum esse jam apparere debuit, sibimet ipsis contradicunt, et denuo in laqueos incidunt supra monstratos (not. 34.). Quibus ex angustiis ut evadant, et ipsi ad aliam versus Matth. XVI, 28 explanationem converti debent.[43])

Jam vero locum ipsum inspiciamus. Marc. IX, 1 habet:

---

42) Strauss. l. c. ed. 3. p. 373.

43) Quare incaute sane hic quoque incedit Straussius, vocem γενεάν non vertendam esse „gentem," inde quoque probare conatus: dass an einer andern Stelle (Matth. XVI, 28 parall.) die Versicherung, die Ankunft des Menschensohnes noch zu erleben, statt von der γενεὰ αὕτη, geradezu von τισὶ τῶν ὧδε ἑστώτων gegeben wird, wodurch aufs Entscheidendste dargethan ist, dass Jesus auch an unsrer Stelle unter jenem Ausdrucke das Geschlecht seiner Zeitgenossen verstanden hat. cf. not. seq.

donec videant regnum Dei veniens ἐν δυνάμει, id quod sine dubio eventu comprobatum est: et simili modo Luc. IX, 27, donec videant regnum Dei. Alibi Christus adeo docet, salutiferum Domini annum jam agi; quin adesse jam regnum Dei et praesto esse, in suâ ipsius personâ et Luc. XVII, 20. 21. et in parabolis multis. — Matth. XVI, 28. dicit: ἕως ἂν ἴδωσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ; non nude dicit, hominis filium venturum, non adjicit solennem illam formulam ad parusiam eam pertinentem, quae sub finem mundi cadit: in nubibus veniet et cum angelis, magna cum gloria et majestate (Matth. XXIV, 30. 31. XXVI, 64. XXV, 31. XVI, 27.), sed dicit: venientem eum videbitis in regno suo. V. 27 locutus erat de parusiâ ad extrema tempora reservatâ; jam vero v. 28 ejus adventus arrhabonem quasi promittit dicens: nonnulli ex his, qui hic adsunt, jam videbunt homini filium in regno suo[44]) advenientem. Quam interpretationem, addito verbo: ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ commendatam, qui rejicit, rejiciat etiam multifariae parusiae doctrinam. Sed Matthaeus praecipue id habet (in hoc quoque Joanni similior) ut in ecclesiae historia, in judiciis Evangelii et victoriis, Christum praesentem sciat, et decursum historiae atque judicia de adversariis ferenda Christo regi (Matth. XI, 27. XXVIII, 18.) adsignet. Quod obvium est Matth. X, 23. XXI, 44. (cll. Lc. XIX, 14. 27.) Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20: „Omnes dies usque ad seculi consummationem vobiscum ero.“ Matthaeus, prae duumviris suis praesentiam Christi perennem tradens, novam quamque rei christianae victoriam, novam Christi revelationem et novum ejus adventum esse cognovit. Similis ratio est notionis τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. Quanquam enim eam jam adesse in sua ipsius persona, Christus docet, apostoli credunt, tamen Servator docet Apostolos precari: Regnum tuum veniat! Praesentiae ejus per-

44) Straussius l. c. (v. not. 43.) proprio Marte posuit: „die Versicherung, die Ankunft des Menschensohnes noch zu erleben,“ quod nullibi exstat. Debebat dicere: das Kommen des Menschensohnes in seinem Reich: sed omisit callidius quam verius verba ea, quae satis gravia videri debebant, cum Lucas et Marcus ea sola habeant, personae Christi praesentis et advenientis mentionem praetermittant. Et tamen Lucae locum et Marci parallelum esse loco Matth. ipse agnoverat.

ennis beneficio id consequuntur Christiani, ut fiat magis magisque praesens ipse et *βασιλεία* ipsius.

Quare nil sane obstat, quin versui 34 apud Matth. sensum eum vindicemus, qui ab idearum Christi eschatologicarum et alibi (p. 32—44) et capite nostro traditarum nexu interno penitius inspecto flagitatur (v. s. p. 69—75), qui a philologiâ commendatur (p. 76 sqq.), seu malis „haec gens," seu „hoc hominum genus, et morum pervicaciâ et infidelitatis insigne."[45]) Ita demum difficultates illae paene infinitae, quae versionem „aetas, aevum," veluti erroris umbra non possunt non comitari, diluuntur et omnia justo ordini redduntur. Restitutis vero jam loco suo orationis membris, quae disjecta videbantur explanatione pravâ et a locis suis alienata, emergit sermonis Christi vera et veluti pulcri organismi species. Etenim jam Christi oratio per articulos plane perspicuos ita progredi videtur, ut nec ordinem justum, nec tenorem certum desideres. Eschatologiae lineamenta firma Christus capite nostro proposuit dogmatica, ut ita dicam, primum v. 4—14, deinde prophetica seu historiae decursum revelantia (v. 15 sqq.). Pars historica, quae tota regitur principiis parte priori propositis tria historiae ecclesiasticae stadia complectitur. Docet enim *a*) primo tempore Christianos ex Judaeis oriundos praevalituros (v. 20.) et in Judaeorum communione mansuros (v. 16.), donec Ecclesia christiana ad Ethnicos sit migratura cum Hierosolymorum excidio et Judaismi occasu externo. *b*) Jam adest secundum stadium (*οἱ καιροὶ τῶν ἐθνῶν*) continens Ethnicismi occasum, et signi christiani et Ecclesiae e gentilibus oriundae assiduum invictumque incrementum. Sed instabit c) tertium stadium, quo Evangelium munere suo, quo fungi debet universali, etiam in Judaeorum gente perfungetur ad hoc usque tempus adservatâ. Ad quam reversum efficiet unum gregem cum uno pastore. Hoc tempore genus humanum laetissimo sensu sibi videbitur vere tanquam unus homo, et per artus hujus hominis, cui jam omnia membra sunt reddita, novus quasi vigor et sublimior vitae sensus pervadet. Quam laetum putas fore rerum statum, quum discidio omni gen-

---

45) cf. Chrysostomum, Graecitatis sane bene gnarum Opp. VII, 2. p. 836. A; Suiceri Thes. 745. IV.

tium alias ab aliis separante sublato, nationes, quarum quaevis suas habet virtutes, jam suas quaevis dotes afferant in commune Ecclesiae beneficium? Quales putas cognitionis divinae et amoris remotissima jam cum proximis facillime conjungentis fontes per arterias quasi generis humani et venas usquequaque promanaturos, undequaque redundaturos? Profecto hic rerum status erit quasi Palingenesia generis humani aut, ut Pauli verbis utar, de hoc tempore loquentis (Rom. IX, 15) ζωὴ ἐκ νεκρῶν. Forsitan idcirco hoc tempus a sacris scripturis vocatur resurrectionis typus seu resurrectio prima, quam Lucae verba indicare posse vidimus. Quum vero aetatis illius flos eximius illud quoque requirat, ut virorum ingenio et spiritu praestantium, frequentiâ gaudeat, forsan virorum ingenia, quorum unumquodque sui temporis ecclesiam angustioribus utique finibus constrictam alere et fulcire poterat, jam ad regendum universum genus humanum nomini christiano addictum, erunt consociata; et quae quasi per longam aetatum seriem sparsa erant, ea forsitan ad unius temporis florem, veluti in epularum spiritualium eximiam coronam, convocata erunt ab Ecclesiae summo Rectore, et quasi reviviscent optima quaeque praeteritorum temporum charismata et ingenii facultates. Id quoque vocari poterit resurrectio prima; similis enim ratio erat resurrectionis Eliae, quae in Joanne Baptista fiebat, qui vocatur ab ipso Christo redux a mortuis Elias.

Quae quomodocunque sese habent: illud probatum arbitror, abjiciendam esse desperationem de loco nostro inter cordatos quoque Theologos obviam, suscipiendam vero dubitationem de opinione, quae certas orationis Christi distinctiones certumque progressum desiderat.

LIBELLI ARGUMENTUM.

ERRATA.

P. 1 lin. 6 del. „videlicet."
„ 2 „ 2 del. „quidem."
„ 4 „ antepenult. del. Theodorus Heraclius.
„ 5 „ 13 post: indicatis pone punctum.
„ „ „ 15 del. p.
„ „ „ 29 del. ".
„ 12 „ 8 non nemonstruosi leg. nonne monstruosi.
„ „ „ 24 cognitiones l. cognitione.
„ 13 „ 1 quoquo leg. quò.
„ 15 „ 6 obstat. del. punctum.
„ 20 „ 3 pro v. 29 leg. (v. 29.)
„ 25 „ 9 del. comma.
„ 28 „ l. antepenult. υπόνοιαν leg. ὑπ.
„ „ „ 5 ὠδῖνων leg. ὠδίνων.
„ 30 „ 18 eum leg. cum.
„ 31 „ 10 lege calamitatem).
„ „ „ 28 lege contradicerent.
„ 32 „ Num. 1 post lin. 7 ponendus est post lin. 10 p. 29.
„ „ „ 10 leg. profunda.
„ 33 „ 10 corrumpis leg. corrumpi.
„ 35 „ 12 leg. relinquendam.
„ „ „ ult. adde: Gal. I, 4.
„ 38 „ 14 pro sed leg. quam.
„ 39 „ 21 del. ( )
„ 40 „ 3 vetere leg. vetere.
